AUTHOR:

MENZEL, HERMANN

TITLE:

DE LUCIO PATRENSI

PLACE:

MESERITZ

DATE:

1895

Master Negative #

93-81292-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Menzel, Hermann

... De Lucio Patrensi; sive, Quae ratio inter Lucianeum librum qui Λούκιος ἢ Ὄνος inscribitur et Apuleii Metamorphoseon libros intercedat, vom Oberlehrer Menzel. Meseritz, Matthias, 1895.

16 p. 27½ cm.

At head of title: K. Gymnasium zu Meseritz ... Bericht des Direktors ... Wissenschaftliche beilage.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 5/4/93 INITIALS: MY

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

KÖNIGLICHES GYMNASIUM

zu

MESERITZ.

Ostern 1895.

Inhalt:

Bericht des Direktors über das Schuljahr 1894—95.

Wissenschaftliche Beilage: De Lucio Patrensi sive quae ratio inter Lucianeum librum, qui Λούκιος ἢ Ὄνος inscribitur, et Apuleii Metamorphoseon libros intercedat

vom Oberlehrer Menzel.

Meseritz.
Buchdruckerei von P. Matthias.
1895.

1895. Progr. Nr. 161.

De Lucio Patrensi sive quae inter Lucianeum librum, qui ΛΟΥΚΙΟΣ Η ΟΝΟΣ inscribitur, et Apulei Metamorphoseon libros intercedat ratio.

Scripsit
Hermannus Menzel.

Pars I.

In Photii Biblioth. cod. 129 (ed. Bekkeri) haec leguntur: Ἀνεγνώσθη Λουκίου Πατρέως μεταμορφώσεων λόγοι διάφοροι. ἔστι δὲ τὴν φράσιν σαφής τε καὶ καθαρὸς καὶ φίλος γλυκύτητος· φεύγων δὲ τὴν ἐν λόγοις καινοτομίαν εἰς ὑπερβολὴν διώκει τὴν ἐν τοῖς διηγήμασι τερατείαν, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι, ἄλλος ἐστὶ Λουκιανός. οἱ δέ γε πρῶτοι αὐτοῦ δύο λόγοι μόνον οὐ μετεγράφησαν Λουκίῳ ἐκ τοῦ Λουκιανοῦ λόγου, ὃς ἐπιγέγραπται Λοῦκις ἢ Ὄνος, ἢ ἐκ τῶν Λουκίου λόγων Λουκιανῷ. ἔοικε δὲ μᾶλλον ὁ Λουκιανὸς μεταγράφοντι ὅσον εἰκάζειν. τίς γὰρ χρόνῳ πρεσβύτερος, οὔπω ἔχομεν γνῶναι. καὶ γὰρ ὡς ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας καὶ περιελών, ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον χρήσιμα σκοπόν, αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν εἰς ἕνα τὰ λοιπὰ συναρμόσας λόγον, Λοῦκις ἢ Ὄνος ἐπέγραψε τὸ ἐκεῖθεν ὑποσυληθέν. γέμει δὲ ὁ ἑκατέρου λόγος πλασμάτων μὲν μυθικῶν, ἀρρητοποιίας δὲ αἰσχρᾶς. πλὴν ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν, ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις, καὶ τοῦτον συνέταττεν, ὁ δὲ Λούκιος σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους καὶ ἀνάπαλιν καὶ τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον γραφῇ παρεδίδου ταῦτα καὶ συνύφαινεν.

Exstat autem inter Lucianea, quae dicuntur, opera liber, qui Λούκιος ἢ Ὄνος vulgo inscribitur, minus bene Λουκίς i. e. res Lucii, cum in Photii manuscriptis apud Bekkerum legatur non Λουκίς, sed Λοῦκις, antiquaria et plebeia forma pro Λούκιος [1]). Atque de hoc quidem Lucio s. Asino patriarcham disserere constat. Nam quod H. Peter [2]) hunc librum, quippe qui ipse hominum illius aetatis superstitionibus a Luciano alias exagitatis nimis indulgeat, Lucianeum eundemque illum satiricum, qui Photio praesto fuerit, esse negat, etiamsi ne leviter quidem hoc libro in aequalium mores opinionesque scriptorem invehi concedas, tamen mireris, quid sibi ille tertius Lucius velit, quomodo adulterinus post patriarchae tempora in Luciani opera irrepserit et genuinum extruserit. (Rohde p. 7.)

Praeter Photii autem illud et Luciani libellum, si quis in Lucium Patrensem inquirere vult, adhibendi sunt Apulei Metamorphoseon libri XI. Omnia enim fere, quae apud Graecum legimus, apud Romanum quoque exstant adeoque congruunt, ut alterum ex altero emendandi facultas sit.

Atque haec quidem suppeditant, pauca certe, cum gravissimum illud, quo solo omnibus vel plerisque iudicii nostri fidem facere possemus, ipsius Lucii Metamorphoseon libri perierint. Quoad autem a Photio proficiscendo imprimisque Lucianum et Apuleium perscrutando et comparando progressi simus, videbis. —

Variae sunt et inter se diversissimae hominum doctorum sententiae, quaenam inter Lucium Patrensem, Lucianum, Apuleium ratio intercedat.

Atque Photium quidem Lucii Patrensis Metamorphoseon duos priores libros in unum contraxisse Lucianum affirmantem secutus est studiosus quidam patriarchae lector, qui ad calcem libelli adscripsit: **ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ ΕΠΙΤΟΜΗ ΤΩΝ ΛΟΥΚΙΟΥ ΜΕΤΑΜΟΡΦΩΣΕΩΝ**, necnon Vossius, qui Lucianum aeque atque Apuleium suam hausisse narratiunculam e Lucio Patrensi praedicat. Apulei fontem fuisse Lucium affirmat etiam Salmasius. (Rohde p. 2. 14.) Huet [3]), qui Lucianum eo consilio librum inscripsisse Lucium putat, ut fabulam ab illo Patrensi petitam significaret, duos Lucii libros esse contractos a Luciano, amplificatos ab Apuleio dicit. Apuleius utrum ex Luciano an Lucio omnia habeat, in medio relinquit Solanus. (Luciani opera ed. Lehmann Lips. 1826 VI p. 504.) — Photii de Luciano iudicium repetunt

[1]) E. Rohde. Über Lucians Schrift Λούκιος ἢ Ὄνος. Lpz. 1869. p. 2. — [2]) Der Roman bei den Griechen. (Neues Schweizerisches Museum VI. 1866. p. 16, not. 30.) — [3]) Lettre de l'origine des romans. 2. éd. à Paris 1678. p. 48. 117.

etiam Lebau [1]), Koraïs [2]), Struve [3]), qui Lucium et Luciani et Apulei fontem esse statuere videtur. (p. 269.) — Ad Huetii sententiam accedunt A. Rode [4]), qui in Apulei vita versioni Germanicae praefixa eum ut Lucianum ex Lucio hausisse, sed multas fabellas suo ingenio inventas inseruisse ponit, et O. Wolff [5]), cum Apulei Metamorphoseon argumentum ut Luciani Asinum ex Lucio petitum, sed ad auctoris arbitrium concoctum et ornatum esse dicat.

Iam aliquanto accuratius in rem inquisiverunt et imprimis Photii illud iudicium, Lucium cum superstitione quadam, Lucianum contra cum ludibrio narrasse, interpretari studuerunt Gesnerus (Lehmann p. 504), qui Lucianum epitomatorem hinc inde iocos adspersisse conicit, quibus non serio ista narrari ostenderet, cum pleniores Lucii libros cum tota illorum superstitione secutus ei videatur Apuleius, cuius ultimo praesertim libro fanatica regnet credulitas; Reitzius (Lehmann I. p. XLVIII), qui Lucianum libellum, cuius stilus et ingenium plane respondeant, scripsisse ponit, sed fictionem forsan ex altero hausisse insertis suis iocis, quibus absurditatem fabulae et hominum turpes mores ac superstitionem derideret; necnon Chassang [6]), qui differentiam hanc esse statuit, »que l'un racontait lourdement et sans esprit des anecdotes assez insipides par elles-mêmes, tandisque l'autre avait donné du charme à ses extravagances par une narration légère, spirituelle et enjouée« — quamquam, utrum hanc fabulam saepius a Graecis tractatam ex Lucio Lucianum petiisse statuat necne, ex eius verbis non satis apparet; Apuleius quoque utrum imitatus sit, in medio relinquit.

Atque his quidem facile assentireris, si Photius, quippe quem si non animi acie, at certe oculis suis usum esse putandum sit, argumentum solum e Lucio petitum suo arbitrio tractasse Lucianum diceret. Recte igitur Wieland [7]) a maxima illa similitudine, qua Lucianus αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν e Lucio surrepta in unum librum conformasse dicitur, profectus est. Quam quidem libros faciendi rationem cum a Luciani ingenio prorsus abhorrere affirmet, Samosatensem potius hanc fabulam indole sua haud indignam invenisse ponit; postea vero nescio quem, ut anilium fabellarum corpori, cui Luciani quoque Asinus amplificatus insertus fuerit, plus auctoritatis compararet, Lucii Patrensis nomen e Luciano omnibus notum usurpasse. De Apuleio autem vir clarissimus aut pervulgatam, quam dicit, sententiam, e Lucio, sed diverso consilio his illis mutatis, additis, extra propositum narratis hausisse eum, secutus esse (p. 229) aut illo libro non inspecto iudicium suum retinuisse videtur.

Hanc Wielandii sententiam amplexus est Preller [8]), quamquam in Luciadis auctorem et similium fabularum rationem etiam inquirendum esse profitetur; plane fere consentit Teuffel [9]).

Atque hic quidem postquam Photii de Asino epitomato opinionem praeter Courieri argumentum infra commemorandum eo refutavit, quod liber ipse minime epitomes speciem prae se ferat neque, cur fabula paucis vel nulla re commutatis retractata sit, appareat, de Lucii Patrensis autem credulitate iudicium aut prorsus abiecit aut ad reliquas operis partes rettulit. Luciani esse libellum affirmat, quamvis praeclara illa narrandi ratio, qua auctor ab oculis nostris prorsus remotus sit, a ceteris eiusdem scriptis abhorreat; nam illum se ipsum aliquando superasse haud inepte statui posse, imprimis si iuvenili ingenio librum composuerit. Lucii Patrensis autem Metamorphoseon libros aut ab anonymo quodam prolatos postea ex primae fabulae actoris nomine, qui forsitan etiam in ceteris partes quasdam egerit, appellatos aut sub hoc aequalibus noto nomine editos esse; nam se ipsum in asinum mutatum esse haud facile quemquam profiteri (aliter Courier p. 15) neque Lucianum aliud Lucio ficto egisse nisi ut fabulam a se compositam esse indicaret (aliter Huet p. 48). Sane vero si hoc acceperis, Apuleio propter temporis rationem Lucianus exemplar fuerit, non Lucii Patrensis libri (p. 455 sq.). Addit etiam alteram causam vir clarissimus, quod Apuleius aeque ac Lucianus mores superstitionesque aequalium derideat [10]).

Prorsus aliter sentit Courier [11]), qui quamquam Luciani esse ita, ut Photius velit, nulla re de suo addita aliena repetere cum Wielandio negat (cf. Teuff. p. 455), tamen ne illum fabulae auctorem agnoscat, impeditur, quod Lucius Patrensis a se eam scriptam esse in fine operis (Ὄνος c. 55) tam aperte declaret. Quod si epitome esset verbis enuntiatisque exemplaris servatis, certe neminem nisi auctorem ipsum sua ita in angustum cogere potuisse. At non epitomen, sed exemplar Lucii Metamorphoseon Asinum esse, quod veteres historiarum imprimis libros, sero grammaticos et philosophicos, nunquam autem literarum liberalium contraxerint (cf. Teuff. p. 455); quod in Apulei Metamorphosibus, quae nobis Lucii Metamorphoseon locum obtineant — id quod omnes usque ad illud tempus contenderant, demonstraverat nemo —,

[1]) Mém. de l'ac. des inscr. XXXIV. 1770. p. 45. — [2]) Praef. ed. Heliodori Aethiop. Lips. 1805. Rohde p. 3. [3]) Über den Roman der Griechen. (Abhandlungen und Reden. Königsberg 1822. p. 259-288.). — [4]) Der goldene Esel. Berlin und Leipzig 1790. — [5]) Allgemeine Geschichte des Romans. Jena 1841 p. 45. — [6]) Histoire du roman dans l'antiquité grecque et latine. Paris 1862 p. 402 sq. — [7]) Lucians Werke. Leipzig 1789. IV, p. 296-304. — [8]) Pauly. Realencyclopädie. Lucian. — [9]) Lukians Λούκιος und Apuleius' Metamorphosen. (Studien und Charakteristiken. Leipzig 1871, p. 446-457). — [10]) Geschichte der röm. Literatur. 3. Aufl. Lpz. 1875, p. 858. In quarta editione 1882, quam Schwabe curavit, quae inter Lucianum et Lucium intercedat ratio, in medio relinquitur, verisimillima autem fortasse Mansonis et Rohdei sententia putatur (p. 857). — [11]) Collection des romanciers grecs et latins. Paris 1822. IV, p. 1 sqq.

haec Asini historia inveniatur, sed anilibus fabulis obruta, quibus solis detractis praeclarus ille Asinus apparere non possit. Statuit igitur Courier Lucium »vieilli, mal inspiré, brouillé avec les Muses«, cum iucundissimo illi libro nova quaedam ut initio Socratis et Thelyphronis et trium utrium historias (Apul. I-III) adderet, totum depravasse. Atque his quidem et eiusmodi fabellis Photium commotum esse, ut Lucio ridiculam illam credulitatem tribueret. — At quoniam Apuleium propria significatione interpretem esse Courier ipse negat, si illis tribus fabellis omissis Asini exordium agnoscas, eodem modo cetera, quae addita esse dicantur, se habere itaque Asinum his male ab initio coniunctis facile deinde desumptis in lucem prodiisse putes. Sed contradicit noster, quod, qui absurda ista ab Apuleio nobis tradita invenerit, non uno eodemque tempore tam bellam fabulam, cui illa inserta sint, componere potuerit. Verisimilior sane haec Courieri coniectura esset, si alium quendam, ut p. 16 voluisse videtur, Asinum retractasse statuisset. Ingeniosissimam autem probabilissimamque eam esse, quae maximarum huius quaestionis difficultatum rationem reddat, dicit Letronne [1]), quamvis certis argumentis Lucii Metamorphosibus amissis diiudicari non possit (cf. Cour. p. 21). Cum Couriero consentit Lehmann (p. 504), praesertim cum Lucianus, si vere Asini auctor fuerit, et consilio narrationis et orationis forma prorsus diversus appareat a genuinorum librorum auctore; errorem autem ex similitudine nominum Luciani, Lucii et Lycini, quo passim in dialogis suis Lucianus se ipse appellare soleat, ortum videri esse. — Cum Couriero consentit eo, quod Asinum a Luciano abiudicat et Lucii Metamorphoses Apulei fontem esse existimat, Hildebrand [2]), sed diversis causis adductus. Apuleius quidem ne ex Luciano hausisse dicatur, obstare tempus, quo Madaurensem librum suum conscripsisse comprobaverit, id quod concederes, si Hildebrandii nequaquam verisimilem de illo opinionem accepisses. Neque vero ipse ita concludere debebat, quoniam p. XXVIII cum omnibus fere, ut ait, interpretibus Luciani ingenio Asinum vindicari posse negat et hanc epitomen alii cuidam tribuit, quem nullo adversante multo ante Apuleium vixisse et eius fontem fuisse facere poterat. — Neque ab hoc pervulgato iudicio descivit Bähr [3]), qui Apuleium liberum arbitrium et honestum quoddam consilium in Graeco exemplari tractando secutum esse dicit. Huc etiam referendum videtur esse, quod Hoffmann [4]), cum Photius Asinum ex maiore Lucii opere contractum esse pro certo affirmet et Apulei liber paene congruens, sed aliis quibusdam fabulis etiam amplificatus hanc opinionem probet, non Luciani quamvis eius ingenio haud indignum, sed excerptoris cuiusdam Asinum esse affirmat (p. 70). Vides idem de Samosatensi iudicium, quod Wieland, Courier, Teuffel fecerunt.

Alia cum Wielandio et Teuffelio, alia cum Couriero communia habet Knaut [5]). Cuius dissertationem inauguralem quod ipse inspicere non potui, ea tantum proferam, quae Rohde (p. 38 sqq.) et Goldbacher (p. 325; v. infra) commemorant. Statuit enim Asinum a Luciano conscriptum deinde amplificatum ab anonymo quodam inter Lucii Patrensis, quas Photius appellet, Metamorphoses receptum esse, unde Apuleius sui operis caput petierit. Quod ut Goldbacher (p. 327. 339) eo confirmare studet, quod Apuleium fabulas quasdam nullo alio ex fonte nisi ex Lucio haurire potuisse ostendit. Grammaticam autem et elocutionis a Luciano prorsus diversam Asini rationem ut interpretetur et temporis ordinem servet, Lucianum iuvenem scripsisse ponit libellum. Quod ad dicendi genus attinet, recte eum refutasse videtur Rohde (p. 40 sqq.).

Nova quadam ratione ad rem aggressus est Manso [6]). Contra Wielandium enim Lucium Patrensem vixisse ex eo concludit, quod Apuleius sub ipso Lucii nomine eadem quae ille narret; qua re certe nihil nisi rationem quandam inter utrumque librum intercedere probatur. Cautius idem ex illo Lucii nomine et similitudine, quae Photio teste inter Lucium et Lucianum exstitisset et in Romano inveniretur, Apuleium ex Lucio hausisse vel certe huius exemplo incitatum esse antea collegit (p. 210). Lucianum vero superstitiosos quosdam scriptores Asino deridere voluisse et stupiditatem Lucii, qui fabellas suas pro veris haberet et aliis traderet, vel maxime illusisse eo, quod ipsum de se excursibus omissis omnia ita et quoad fieri potuerit, iisdem verbis eademque credulitate narrantem fecerit, quae et quomodo de aliis protulisset. Qua in re recte mireris, quam leviter Lucianus versatus sit, etiam magis, qua causa Apuleius, ut eundem Lucium loquentem introduceret, commotus sit. — Idem fere sentit Jenning [7]), qui Goldbachero teste (p. 325) Luciano posteriorem quendam Lucii superstitiosas fabulas, quas Apuleius, quales essent, transscripserit, Asino irridere voluisse contendit similitudinis utriusque libri nulla ratione habita.

Mansonis de Luciano sententiam argumentis probare studuit, immo vero ratiocinando ad eandem progressus est E. Rohde libro supra laudato. A Photio solo profectus Lucii et Luciani maximam illam similitudinem, totius autem

[1]) Journal des Savans. Paris 1818. p. 419. — [2]) Apulei editio maior. Lips. 1842. I p. XXVII. — [3]) Pauly. Realenc. Apuleius; Geschichte der röm. Literatur. Carlsruhe 1869, § 337. — [4]) Lucian der Satiriker. (Album des literar. Vereins in Nürnberg für 1857. p. 1-115) — [5]) De Luciano libelli, qui inscribitur Lucius sive Asinus, auctore. Lips. 1868. Animo praeoccupato ad rem accessisse Knautium et quavis ratione Asinum Lucianeum duarum reliquarum narrationum fontem esse demonstrare parato contendit Buerger (p. 2; v. infra). — [6]) Über den griechischen Roman. (Vermischte Schriften. Lpz. 1801. II, 201-320.) — [7]) De Metamorphosibus L. Apulei, tum de Apulei episodiis, tum de iis locis, qui e Lucio Patrensi videntur translati esse. Lips. 1867 (1871).

orationis prorsus diversum colorem eo tantum explicare se posse profitetur, quod Lucianum Lucii fabulam eiusque auctorem irrisisse statuat. Quod quo magis perficeret, Lucianum praeterquam quod auctorem ipsum, quae de alio quodam in asinum mutato narravisset, sufferentem fecerit — id quod imprimis capite 55 indicetur —, quidquid ipsius consilio non repugnaret, αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν ex Lucio petiisse. Qua quidem re sola a ceteris Luciani scriptis diversum illud et narrandi et dicendi genus recte intellegi posse neque esse, cur libellum ab illo abiudicemus. Apuleium vero ex Luciano hausisse praeter temporis argumentum probari eo, quod eius princeps fabula eadem qua Lucianea amplitudine sit, quod Lucius superstitiose narraverit, Apuleius vero Asini historiam certe ut tragicomoediam proferat, imprimis autem quod aeque ac Lucianus acerbissimis facetiis in Metragyrtarum mores invehatur (Asin. 36-41; Apul. VIII, 24-IX, 10), ubi Lucii superstitio maxime comparuisse putanda sit.

Prorsus diversam inquirendi viam ingressus est Goldbacher [1]). Photio enim ab initio reiecto totam illam Apulei fabellarum farraginem perscrutando, cum Asino comparando, discrepantia quomodo cum principe fabula coniuncta sint, inquirendo, locos, quibus Romanus ad exemplar revertatur, accuratissime inspiciendo invenit primum Asinum esse epitomen, quod multa partim per se, partim cum Apuleio collata in angustum eum coactum esse demonstrent; deinde Asinum et Apulei librum aut alterum ex altero aut ex communi fonte haustos esse, quod Asini argumentum accuratissime, immo vero locis quibusdam ad verbum ab Apuleio — nam Asinum ex Apuleio manasse neminem, qui cernere didicerit, contendere posse — repetitum videamus, discrepantia autem quaedam aut in Asino excerpendo aut in Apuleio fabula addenda orta sint; tum multas fabellas apud Apuleium aut nescio qua ratione additas aut artius cum principe fabula coniunctas esse. Atque harum quidem multas, ut quae de Thelyphrone (II, 18-30), de Lucio utricida (II. 31-III, 18), de latronum altera manu (IV. 9-12), de Tlepolemo (VII. 4-5; 8-13), de asino rabido (IX, 2 init., 3-4), de pistoris muliere (IX, 14-16; 22-23; 26-31) narratae sint, iis potissimum locis exstare, quibus aliquid in Asino deficere statuendum sit; necnon de Socrate fabulam (I, 3-20) propter scenam in Asino mutatam huc referendum esse. Multas porro, ut de Socrate, Thelyphrone, Lucio utricida, pistoris morte (IX, 29-30), rebus magicis superstitionibusque, quae in iis inveniantur, praeclare cum summa congruere, id quod etiam de dracone fabellam (VIII. 19-21) genuinam esse demonstret. Quae quidem si quis consideraverit et quantopere ceterae fabellae et argumento et annectendi ratione abhorreant, illas non a docto quodam, qui corruptissimum quemque Asini locum detectum habuerit, additas esse, sed ab initio compositas, non ab Apuleio assutas, sed ab Asini auctore omissas statuendum esse. Quomodo autem Goldbacher Photium sibi assentiri demonstraverit, infra videbimus.

Hanc Goldbacheri disputationem Luetjohann [2]) impetum esse dicit (p. 475) Rhodei sententiae, qui non omnibus quidem ex partibus bene successerit, sed haud spernendus sit. In universum cum Goldbachero consentit Bürger [3]), etiamsi multa in eius libello aperte falsa sint, multa ad persuadendum minime apta. Cum enim ex Photii sententia nihil aliud possit colligi nisi temporibus eius servatum fuisse libellum variarum mutationum fabellas continentem eiusque duobus prioribus libris eandem rem narratam esse atque in Asino Lucianeo, ita tamen, ut historia paullo latior et fusior esset, et nonnulla adiecta, quae cum Lucii casibus non tam arte cohaererent, indeque de utriusque libri Apuleique Metamorphoseon ordine nihil certi posse elici pateat: Luciano et Apuleio eorumque discriminibus diligenter examinatis confirmasse sibi videtur utriusque librum ex communi fonte, i. e. ex Lucii Patrensis Metamorphoseon duobus prioribus libris, fluxisse, in quo lacunae in Asino detectae eadem ratione atque in Metamorphosibus expletae fuerint et locis quibusdam in Asino confusis et distractis maiores narrationis partes interpositae. Atque hoc exemplar in Asino epitomatum, sed praeterea satis accurate servatum exstare, in Metamorphosibus contra in singulis mutatum et ubique maxime dilatatum.

Ut Solanus et Chassang Apulei fontem Lucium Patrensem esse affirmare dubitant Bernhardy [4]) et O. Jahn [5]), qui magnopere dolet, quod in ampliore ignoti cuiusdam de Asino libro — Lucium Patrensem dicit — num fabellae, quas Apuleium inde petiisse putemus, insertae exstiterint, nesciamus.

Mirum quoddam profert Belin de Ballu, cuius verba in libro »Collection des romanciers grecs et latins« (p. 348) exstare videntur. Simplicem enim Asini sermonem priora potius literarum saecula indicare et Apuleio teste (I, 1) fabulam Milesiam esse ait, quo genere Aristides maxime delectatus sit, id quod ex Romani verbis certe concludere non licet. Obstare etiam, quod oppidi cuiusdam Macedonici praesidium Romanorum commemoretur et miles legionarius

[1]) Über Lucius von Paträ, den dem Lucian zugeschriebenen Λούκιος ἢ Ὄνος und des Apulejus Metamorphosen. (Zeitschrift für die österreich. Gymnasien. XXIII, 1872, 323-341; 403-421). — [2]) Kritische Beiträge zu Apulejus' Metamorphosen. (Acta societatis philologae Lipsiensis. III. 1873. p. 443-502). — [3]) De Lucio Patrensi sive de ratione inter Asinum q. f. Lucianeum Apuleique Metamorphoses intercedente. Berol. 1887. — [4]) Grundriss der röm. Literatur. Braunschweig 1865, p. 819. — [5]) Novelletten aus Apuleius. (Aus der Altertumswissenschaft. Bonn 1868, p. 75-114).

partes agat, dicit Schoell [1]). — Neque magis argumentis niti videtur Pauly [2]), qui ampliorem librum, cuius haud genuina epitome Asinus sit, Lucianum Apulei more conscripsisse facit.

Si quis in Lucium Patrensem inquirere vult, certe a Photio proficiscendum est. Atque illo quidem tempore Metamorphoseon libros varios sub Lucii Patrensis, Lucium s. Asinum, quem nos habemus, sub Luciani nomine exstitisse constat. Peter enim Photium alium ac prorsus diversum Asinum legisse coniciens iam supra repudiatus est neque fides habenda Hildebrandio (p. XXVIII.), qui Lehmanni (p. 504) non intellectam opinionem reiciens in Asini auctore constituendo errare patriarcham erroremque posteris tradere potuisse putat, quamquam quomodo iam antea in Luciani opera libellus irrepserit, dubitare licet. Neque vero Photium primum Lucio Patrensi Metamorphoses dedisse existimandum est, quippe qui, si ex fabula ipsa id conclusisset, accuratius utrumque librum inspicere debuerit. Quod si fecisset, Asini locum (c. 55 ἔστι μοι Λούκιος . . . πατρὶς δὲ ἡμῶν πάτραι τῆς Ἀχαΐας) invenisset neque dubitare potuit, quin Lucius Patrensis Luciano aetate maior esset (Goldbacher p. 326). — Iam vide, quibus et quam gravibus causis, ut Lucianum duos priores Lucii libros transcripsisse concluderet, illum adductum esse putes. Concedendum sane est accuratissime comparando Photium eo iudicii pervenire potuisse; sed cum Asini locum illum neglexisse eum viderimus et de totius libelli ratione minus bene existimasse cognituri simus, diligentiae eius acieique ingenii diffisi haud iniuria eum aetatis illius contrahendi, non amplificandi usu commotum breviorem librum ex maiore, ergo Asinum ex Lucii Metamorphosibus petitum esse argumentantem cum Teuffelio (p. 453) faciemus neque aut cum Letronneo (p. 419) rem nos diiudicare posse omnino desperabimus aut cum Rohdeo (p. 10) probabilia argumenta Photio supponemus, quippe qui gravissimo non usus sit. Contendit igitur Asinum esse epitomen, sed talem, qualis haud facile inveniatur. (Vide Photii verba: ὡς ἀπὸ πλάτους - ὑποσυληθέν). Mireris, quomodo liber ex altero contrahi possit αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν [3]). Tamen nemo adhuc rem in dubium vocavit (cf. Bürger p. 5), immo vero Wielandium Photii illud, ne Lucianum fabulae argumentum quidem e Lucio petiisse, sed suo ingenio tractasse statueret, id quod Chassang necnon Gesnerus et Reitzius existimant, impedivit (p. 303) et Courierum, ne patriarchae de utriusque libri prorsus diversa narrandi ratione iudicio fidem haberet, commovit (p. 13; cf. Bürger p. 9). Omnes vero, qui accuratius in rem inquisiverunt, talem utique sententiam protulerunt, ut illud servarent. Ac recte quidem, quoniam, quicunque duos libros quamvis leviter inspexerit, etiamsi occultiora praetereat, tamen, utrum idem argumentum, eadem dictio verborumque compositio iis sit necne, cernat necesse est (cf. Bürger p. 5). Facillime rem explicaveris, si cum Wielandio, Teuffelio, Knautio, Couriero Asinum a Luciano sive Lucio inventum et ab anonymo sive a Lucio ipso novis fabellis quibusdam aliisque excursibus amplificatum Metamorphoseon illi corpori insertum esse statueris. Quod si minus placet, quod nimis a Photio abhorreat, restat — nam tertium illud Mansonis et Rohdei, quamvis repugnent, tamen nullo modo cum patriarchae verbis coniungi posse infra monstrabimus —, ut fuisse quaedam in Lucii Metamorphoseon duobus prioribus libris concedas, quae minus accurate cum Asini historia cohaeserint, facile igitur amoveri potuerint (cf. Bürger p. 5. 11). Cui rei neque opponendum est ita auctorem a fabula declinasse parum verisimile esse, quoniam sescenties in libris invenitur, neque, si cum Couriero Photii illud de Lucii credulitate et superstitione iudicium his excursibus probare velis (p. 18), viro doctissimo fides est habenda, unum eundemque eodem tempore has aniles fabellas ac optimam Asini historiam invenire non potuisse (p. 20), quoniam facile alius aliter de fabellis sentit vel scriptor forsitan non ipse eas invenit, sed aliunde petiit, id quod Apuleio accidit. Rectius autem dicat quis scripta in angustum cogere non Lucianeae aetatis fuisse, nedum Luciani ipsius (Courier p. 14. 17; Teuffel p. 454). At Lucianum neglegere licet, quoniam propter dicendi genus omnes fere libellum ei adimunt (cf. Rohde p. 32) neque Rohde nisi haud probabili coniectura sua genuinum eum esse monstrare potest (p. 33). Epitomen vero propria significatione Asinum esse cum et propter totam eius rationem (cf. Teuff. 454) et propter Photii de singulari illa cum Lucio consensione iudicium negemus, nihil obstat, ne iam illis temporibus aliquem fuisse ponamus, qui primariam fabulam sui delectandi causa e ceterarum farragine exemerit. Quamquam huius rei indicia haud mediocria exstare debent, si hanc coniecturam veram esse comprobare velis. Invenisse se indicia Goldbacher et Bürger praedicant; qualia sint, iam videamus.

Quale illud Luciani in Lucio compilando proprium consilium fuerit, Photius nos celat. Goldbacher autem hominem quendam Lucii duos priores libros ita in angustum coegisse testatur, ut ante Lucii in asinum transformationem quidquid ad eam non plane pertineret, omitteret, mutatione facta ea, quorum asinus non primas partes ageret (p. 406). Qua in re si accuratius consideraveris, vel inconstantissime et perversissime eum versatum esse invenies. Quid?

[1]) Geschichte der griech. Literatur. Berlin 1828-30, II, p. 486. — [2]) Lucians Werke. Stuttgart 1827-32, IX, p. 1045; Rohde p. 6. — [3]) Wieland p. 302: Mit Beibehaltung des Ausdrucks und der Zusammenordnung der Sachen; p. 229: Wort für Wort. Goldbacher p. 409: Mit Beibehaltung von Ausdruck und Fügung. Bürger p. 5. ad verbum fere. Courier p. 10: conservant et les mêmes tournures et les mêmes expressions.

quod ille modo tam inepte coartat, ut pauca quaedam exemplaris verba eaque ad intellegendum maxime necessaria mira neglegentia omittat (As. 17,32; p. 331. 41,30; p. 336) [1], vel adeo a consilio suo descivit, ut nonnulla maxime ad asini fortunam pertinentia aut silentio praetereat (c. 16,10; p. 330. 33,36; p. 434) aut alind quoddam proferat, cum paucis verbis omissa attingere liceret (c. 26,25; p. 333. 43,29; p. 338); modo tam elegans iudicium adhibet, ut commissurae celandae causa personam praetermittat eiusque partes ad aliam deferat (c. 1,7; p. 328), etiam novam addat (c. 21,31; p. 332), immo vero tam facetus est, ut pro superstitioso, qui videbatur, epilogo iocularem fingat (c. 53-56; p. 412), qui et ipse epitomen sapit (c. 55,30; p. 340) et locum corruptum exhibet (c. 55,21) et, quod maxime dolendum est, qua re Photii de Lucii superstitione iudicium nitatur, adhuc in ambiguo reliquit. Semel talem epitomator se praebet, qualem laudes (p. 329). Sed nonnulla iam nunc accuratius perlustranda sunt. —

Asinus ipse epitomen se esse declarat c. 17,33. Cum enim Lucius in asinum mutatus nocte a praedonibus, qui Hipparchi hospitis domum invaserant, sarcinis onustus cum equo suo et altero asino in viam productus esset, prima luce iam multos montes superaverant. καὶ στόματα δὲ ἡμῶν δεσμῷ ἐπείχετο, ὡς μὴ περιβοσκόμενοι τὴν ὁδὸν ἐς τὸ ἄριστον ἀναλίσκοιμεν, ὥστε ἐς τὴν τότε καὶ ἔμεινα ὄνος. Orationem hic non recte vel satis clare progredi apparet. Quod si Lucium rosis tantum comesis reformari potuisse (c. 14,34) recordaberis, rosas eum in via vidisse — id quod ante ὥστε omissum sit — facile conicias, quas ne devoraret, capistrum impedimento fuisse (Wieland p. 245; Lehmann p. 526). At si asinus re vera rosas vidisset, postea dicere non potuit: ἔγνων προθύμως περιπατεῖν, ἐλπίδας ἔχων πάντως ποτὲ ἐμπεσεῖσθαι εἰς τὰ ῥόδα κἀκ τούτων εἰς ἐμαυτὸν ἀνασωθήσεσθαι (c. 20,10), addere debuit iterum hoc futurum esse se sperare. Recte igitur Apuleius, quippe qui iam bis (III, 27,17; 29,30) [2] asinum in rosas incidentem fecerit, hic illa verba ita commutanda plane omisit (IV, 5,12; addidit illam rosas inveniendi spem VII, 15,3; X, 29,13). Noster autem locus (As. 17,33) vel interpretandus est: etiamsi rosas vidissem, tamen capistro obstante asinus mansissem (cf. Bürger p. 40), vel ita, ut ὥστε non ad unum praecedens enuntiatum referas, sed ad totam rerum conditionem. Palaestra enim, quae invita Lucium transformaverat, ut unam noctem in asino perduraret, mane rosas allatura eum monuerat (c. 14,36). Nocte quamvis aliter iam praeterita recordatur Lucius illud promissum et quae asinus nocte perpessus esset, narratis addit: itaque ad illum diem tunc asinus mansi. At utcunque res se habet, certe Goldbacheri sententia repudianda est (p. 331). Nam quod Apuleius hic profert (III, 29,27), nullo modo cum Asino coniungi potest (cf. Bürger p. 40). Sed totum locum temere ab eo tractatum esse facile probatur. In Asino enim latrones in montes ἀτρίπτῳ ὁδῷ fugere conantur (c. 16,21), asinum rudentem ut ipsos proditurum feriunt (c. 16,29), iam multos montes superaverunt, cum illucescit (c. 17,31), medio die in stabulum quoddam familiarium devertunt (c. 17,34). Apud Apuleium autem latrones quamquam per avia montium fugiunt (III, 28,15), tamen iam luce clarissima vicum quempiam frequentem et nundinis celebrem praetereunt (29,21), ubi inter ipsas turbelas Graecorum rudentem asinum aspernati clamorem caedunt (29,22-27). Atque cum multas villulas et casas amplas praetereunt, in hortulo quodam asinus rosas prospicit, quibus inhians propius accedit et iam labiis affectat, cum ne evidens exitium inter manus latronum offendat vel artis magicae suspectione vel indicii futuri criminatione, a rosis temperat (29,28 sqq.). Diem ferme circa medium in pago quodam devertunt IV, 1,9). — Quam tumultarie et nimis a verisimilitudine declinans auctor haec narret, vides neque id omittas Apuleium, ut ubicunque suum ingenium aut commutando aut addendo exerceat, exemplaris quaedam silentio praetereat, ita hic quoque egisse. Desiderantur enim As. c. 16,22 (III, 28,16); 16,24 med.-26 init. (29,18); 16,29 extr.-30 (29,27). Rosas autem asinus quomodo affectare potest, si στόμα δεσμῷ ἐπείχετο? Quo consilio epitomator illud Apulei omisisse et aliter narrasse putandus est? Iure igitur, cum totus locus Apulei ingenium prodat, hanc quoque mutationem ei attribuimus.

Alter locus, ubi Goldbacher ex Asino ipso excerptionis indicium invenisse se putat (p. 337), est c. 41,30. Asinus enim ut se a cultro coqui cuiusdam servet, loro rupto exsultans irrumpit, ubi domini eius cum hospite coenant, ibique omnia evertit, ratus illos ὡς ἀγέρωχον ὄνον se includi diligenterque custodiri iussuros esse. At asinum λυττᾶν suspicati gladiis, hastis, fustibus petunt, ita ut mortem eo tantum effugere possit, quod in dominorum cubiculum se proripit, ibique per noctem inclusus (c. 40) postridie cum illis abit (c. 41,30). — Scrupulosus quidem lector asinum postridie mansuetum inventum esse ut paucis commemoretur, facile postulet (cf. Bürg. p. 17), id quod Wieland quamquam suis verbis addit (p. 275), Lucianum tamen nimia breviloquentia omittere potuisse dicit (not. 26). Idem sensisse videtur Courier neque aut in editione quidquam annotat aut in versione adicit p. 72), quamvis simillimum locum (c. 42,23 ἀγνοεῖν), ubi etiam Wieland iterum suum addit (p. 277), Apulei verba (IX, 11,25) secutus ut mutilum compleat (cf. Lehmann p. 198). Mireris, sed etiam magis, quod Goldbacher hunc locum omisit, illo autem breviloquentiam minime passus neglegentiam epitomatoris

---

[1]) Adhibui Bekkeri Luciani editionem (Lips. 1853, II. p. 348-373) eiusque paginarum versus singulis capitibus adieci. — [2]) Adieci paginarum versus editionis Eyssenhardtii. (Ap. Metamorph. libri XI, rec. F. Eyssenhardt. Berol. 1869).

accusat. Vereor, ne sola Apulei narratione adductus sit (IX, 3-4,14). — Iam enim clara die asini custodes, quibus certe clausis obseratisque cubiculi foribus non opus erat, eo sanitatem eius explorant, quod sicut libris etiam pristinis proditum observari soleat, aquam hauriendam offerunt. Die sequenti rursus ad viam asinus producitur. — Num est, cur haec pauca ab epitomatore omissa esse statuamus? Quamobrem tertio demum die iter pergitur? Sed alia quoque temere commutata sunt (cf. Bürg. p. 15 sqq.). Quod enim asinus apud Graecum sperabat futurum esse (c. 50,23), hic statim factum est. Pater familias enim asinum ut importunum atque lascivum clausum iubet cohiberi, qui quidem custodela salutaris sibi gaudet carceris (IX, 1). Ac tum demum absente asino [1]) cum puer canem rabidum paulo ante homines iumentaque momordisse eorumque nonnulla iam efferari simili rabie nuntiaverit (2,25-7), idem de asino iam incluso fit, quod apud Graecum de triclinium invadente (IX, 2,8-15=As. 40,25-30). Vides autem Apuleium ita aut consulto aut neglegenter commutasse, quod nuntium illum non breviter tangere, sed pluribus verbis afferre voluerit. Itaque neque hunc locum (IX, 2,25-7) cum Goldbachero (p. 336) exemplari Graeco tribuo neque illum de asini sanitate exploranda (IX, 3-4,14). Neque magis lacunam As. 41,30 statuo, cum is, qui asinum ferocitatem simulaturum esse audivit, minus facile hic offendat. Itaque Bürgero p. 15 sqq.) assentiri non possum, qui illa (IX, 2) ab Apuleio inserta, haec (IX, 3. 4) a »Luciano« omissa esse putat.

Tertium locum (As. 55,30. 31) Goldbacher huc referre non debebat (p. 340; cf. Bürg. p. 52 sqq.), quippe qui capita 53-56 epitomatoris proprio ingenio det (p. 412 sq.); quo iure, infra videbimus. Thessalonicae enim asinus in hominem palam reformatus a praeside domo receptus est, ἐν τούτῳ δὲ καὶ ὁ ἀδελφὸς ὁ ἐμὸς ἀφίκετο, ἀργύριον καὶ ἄλλα μοι πολλὰ κομίζων. Nihil offendit Courier (p. 92), contra Wieland (p. 291, not. 36) Lucii fratrem nuntio Patras allato adesse facile conici posse affirmat; recte quidem, si modo in fabula, quae repentinis eventibus abundet, adventus causam requiras. Ceterum tale quid Apuleio quoque ante oculos obversatum esse (XI, 18) haud temere concludas. Goldbacherum autem eo inclinantem, ut Lucium sicut apud Apuleium in patria ipsa reformatum esse itaque fratrem nullo adnuntiante advenire potuisse putet, cum tota eius de hoc epilogo sententia infra refellemus.

Idem vir clarissimus nimiam sagacitatem adhibuit quarto loco (As. 43,29), ubi in ipso Graeco exemplari amputandi indicium invenisse se profitetur (p. 338). Asinus enim a pistore quodam emptus molae subiungitur. Sed quamvis saepe expertus, quomodo molendum sit, haud ignoret, tamen se ignorare simulat, sperans scilicet se aliquid assecuturum esse, id quod Apuleius suis verbis addit (IX, 11,25), sed sine negotio intellegitur. Verum frustra speravit. Domestici enim nopinantem, qui velo oculis praetento nihil videat, ita conferta manu pulsant, ὥστε με ὑπὸ τῆς πληγῆς ὥσπερ στρόμβον ἐξαπίνης στρέφεσθαι (cf. IX, 11,10-2 extr.). καὶ πείρᾳ ἔμαθον, ὅτι χρὴ τὸν δοῦλον ἐς τὸ τὰ δέοντα ποιεῖν μὴ περιμένειν τὴν χεῖρα τοῦ δεσπότου (c. 42). Λεπτὸς οὖν πάνυ γίνομαι καὶ ἀσθενὴς τῷ σώματι, ὥστε ἔγνω με ὁ δεσπότης πωλῆσαι. καὶ ἀποδίδοταί με κτλ. (c. 43). Non intellegit Goldbacher, cur asinum auctor iterum (cf. c. 28) in pistrinum duxerit, si tantum denuo verberibus afficiatur. At consilium quoddam agnoscas, cum asinina Lucii prudentia, qua bonum sibi parare vult, malum accipit vel facile accepisset, id quod iam c. 19 et 40 ei accidit, demonstretur et ipse experimento discat, qualem servus se praebere debeat. Idem vendendi causam, quoniam in pistrino vel emaciata atque imbecilla iumenta usque ad mortem consumpta sint, parum verisimilem esse contendit. At cetera huius fabulae verisimiliora sunt, ut illud, quo fabula expeditur c. 34, ab ipso probatum (p. 335)? An verisimilius est epitomatorem, cum exemplaris narrationem, quae apud Apuleium (IX, 14-16. 22-23. 26-31) exstare dicitur, secutus sic fere in angustum cogere potuerit »pistore nequissimae uxoris artibus interfecto asinum a filia eius cum cetera familia venditum esse«, illud a vero, quod nominatur, alienissimum finxisse? At Bürger ex particula οὖν in praecedentibus accurate expositum esse, quibus rebus asinus macer debilisque factus esset, colligit eamque lacunam iis, quae Apuleius afferat, satis quamquam non accurate expletam esse statuit (p. 20 sq.). Sed cum certis quibusdam causis illa Apuleiana esse persuasum habeam (v. infra), molestiam tolerandam esse censeo, praesertim quod qui c. 28 (cf. λεπτὸς οὖν καὶ ἄμορφος ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ ἐγενόμην, οὔτε ἔνδον εὐφραινόμενος πρὸς τῇ μύλῃ κτλ.) legerit, hic auctori satis fidenter credet.

Magnam etiam in c. 44 offensionem praebere statuit Bürger enuntiatum καὶ τὰ μὲν πρῶτα λαλεῖ (miles hortulano cum asino in hortum exeunti obviam factus) πρὸς ἡμᾶς τῇ Ἰταλῶν φωνῇ, quoniam postea militem Graece quoque hortulanum percontatum esse non narratum sit (p. 23). At hanc quoque molestiam satis patienter tolerandam esse puto, quod hortulanus, qua est temeritate, propter unam plagam militem legionarium statim aggreditur, haud impune vero id quod auctorem fingere non vetabis (vide infra).

---

[1]) Cf. verba »ut familiares inter se susurrabant« (2,26), quae dicendi formula sicut alia eiusmodi, quae infra afferemus, asinum non suis oculis vidisse vel suis auribus audisse, sed ab aliis accepisse significat.

Neque magis illum de virgine per milites a latronibus liberata locum improbem, As. 26 ἔτυχε δὲ καὶ ὁ τὴν κόρην μεμνηστευμένος σὺν αὐτοῖς ἐλθών· αὐτὸς γὰρ ἦν ὁ καὶ τὸ καταγώγιον τῶν ληστῶν μηνύσας. Lacunam hic quoque esse Bürger statuit (p. 12), quod ille latronum latebras indicare non potuerit, nisi antea vidisset, non videre, nisi speciem latronis induens illis se immiscuisset. At scriptor id nobis narrare debuit? An re vera maxima cum molestia eiusmodi fabula desideratur? Equidem nego. Quae Apuleius exhibeat, infra videbimus.

Atque haec quidem certa excerptionis argumenta (Bürg. p. 25), in quibus refutandis multa ex posteriore disputationis parte proferre coactus sum, adeo persuadere mihi non possunt, ut Asinum epitomen esse concedam. Quid autem de ceteris excerptionis argumentis, quid omnino Apulei Metamorphosibus Asinoque comparatis iudicandum sit, infra intellegemus.

Iam quaeritur, quae Photio de Lucii et Luciani diversitate disputanti fides habenda sit. Nam quae de Lucii itaque Luciani clara et iucunda, pura et novorum verborum fugienti dictione affert, a viris doctis vel probantur vel ad Byzantinorum iudicium referuntur (Courier p. 21 sq.; Rohde p. 37; Goldbacher p. 408); quae de utriusque libri commentis mythicis et obscoenis rebus, assentietur, qui Asinum inspexerit. Ac de Luciano quidem sive quicumque est, Asini auctore cavillante et aequalium superstitiones perstringente ii optime statuere mihi videntur, qui eum lepide ac facete se lectoresque delectandi causa haec narrasse praedicant: Gesnerus, Wieland (p. 309), C. Fr. Hermann [1]), Hoffmann (p. 70), Sommerbrodt [2]), H. Peter (p. 16), Goldbacher (p. 409), Courier (p. 24), Chassang (p. 402). Confer etiam Bürgerum (p. 7 »neque aliud est haec narratio nisi mera fabula Milesia neque aliud est eius consilium nisi hominum, qui tunc erant, mores accurate et infucate depingere«); quamquam p. 59 scriptoris mirarum Metamorphoseon fabularum studiosissimi irridendi consilium in libello »Lucii Patrensis«, cuius epitome Asinus sit, exstare censet, ita tamen, ut multis saepe fabularum condimentis adspersis non solum libellum invectivum composuerit auctor, sed etiam fabulam iucundissimam.

Sane vero hominum quorundam mores derideri dici potest illo asininae Pasiphaes exemplo (c. 50. 51. 56; cf. Wieland p. 303), attamen adeo ab acerbe irridendi ratione — id quod Jacob [3]) vult — auctor abest, ut etiam novitate rei oblectare voluisse videatur (Wieland p. 287, not. 32) et Palaestrae cum Lucio certamina (c. 8-10) cum sua ipsius delectatione fusius proferat (Wieland p. 303. 235; necnon Jacob p. 187; cf. etiam, quae de Apuleio statuerunt Wolff p. 47, Bürger p. 32.). — Τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν perstringi putes capitibus 35, 19-41 (Goldbacher p. 413), quod spurcissimi deae Syriae sacerdotes dona a spectatoribus accipiant, unde alantur (c. 37,6), et hospitio recipiantur (c. 39. 41). Sed deam homines recipiunt eique sacrificia offerunt (c. 39,37), deam in templo collocant, sacerdotibus vero pauperum hominum assignant domum (c. 41,34). Immo vero Metragyrtae, cum libido eorum patefacta sit, οὐκ ἐργασάμενοι abire coguntur (c. 38,32), in furto deprehensi in vincula coniciuntur eorumque supellex venditur, at dea in templo ponitur (41,8). Hanc deae autem opinionem vel deam ipsam derideri nihil indicio est, neque id, quod asinus primum sacerdotum laniena conspecta, né forte asinino etiam sanguine deae opus sit, veretur (c. 37,4), huc est referendum, quoniam ut illud c. 35,22 (εἷς τῶν τὴν θεὸν ἐπαιτεῖν ἀναγκαζόντων) indignantis est (cf. Ap. VIII, 29,7 »deposcunt arietem, qui deam Syriam esurientem suo satiaret sacrificio«). —

Certe si quid toto libro deridendi consilium desideratur, hominum curiositas, qua in naturae secreta inquirere conentur, ludibrio habetur. Nam quod Rohde omnino etiam fabulatorum narrandi genus illudi vult (p. 13), probares, si copiosius auctor illo genere usus esset; quomodo putandum sit, ex Apuleio cognoscitur (vide infra). — Ex negotio Lucius Larissam, Thessaliae urbem, petebat (1,1; 3,11; 11,16), sed Hypatae moratus cupiebat ἐξευρεῖν τινα τῶν μαγεύειν ἐπισταμένων γυναικῶν καὶ θεάσασθαί τι παράδοξον ἢ πετόμενον ἄνθρωπον ἢ λιθούμενον (4,13). Commonefactus autem hospitis sui mulierem magam esse ab ancilla eius impetrat, ut longam cupiditatem sedet (12,37 ἀναπαῦσαι πολυχρονίου ἐπιθυμίας; cf. 5,35. 5,38. 11,19) et dominam in avem se vertentem ostendat. Quam cum viderit avolantem, a Palaestra petit, ut sibi etiam pennas addat. ἐβουλόμην γὰρ πείρᾳ μαθεῖν, εἰ μεταμορφωθεὶς ἐκ τοῦ ἀνθρώπου εἶτα καὶ τὴν ψυχὴν ὄρνις ἔσομαι (13,19). Et sane pro ave errore Palaestrae asinus factus ipse de se profitetur: ἐγὼ δὲ τὰ μὲν ἄλλα ὄνος ἤμην, τὰς δὲ φρένας καὶ τὸν νοῦν ἄνθρωπος ἐκεῖνος ὁ Λούκιος, δίχα τῆς φωνῆς (15,39). Experimento didicit, quod voluit. Sed ne statim reformetur, obstat, quod rosae, quibus devoratis in Lucium redeat, desunt. Et quamquam unicam noctem in asino ei perdurandum est, tamen lupo vel alia bestia intrante facile perire potest. ὢ τῆς ἀκαίρου ταύτης περιεργίας (15,8). Quomodo autem a latronibus media nocte Hipparchi hospitis aedes aggressis in montes abigatur, quam variis casibus paene laceratus verberibus usque ad proximum ver per Thessaliam et Macedoniam agitetur, ut omittamus, id modo animadvertas

---

[1]) Gesammelte Abhandlungen. Göttingen 1849, p. 226. — [2]) Ausgewählte Schriften des Lucian. Berlin 1860. I, p. XXV. — [3]) Charakteristik Lucians. Hamburg 1832, p. 184.

velim ne asinum quidem a propria curiositate descivisse, quippe qui ὁ ἀγέρωχος καὶ πάντα περίεργος (45,31) prospectu suo dominum absconditum maximo cum persecutorum gaudio prodat (c. 45). Tandem autem in ipso theatro rosis inventis in hominem reformatus etiam in periculum adducitur, ne ὥσπερ φάρμακα δεινὰ ἐπιστάμενος καὶ κακόν τι πολύμορφον (54,11) igni cremetur, sed a provinciae praeside agnitus cum fratre suo domum redit οὐκ ἐκ κυνὸς πρωκτοῦ (τὸ δὴ τοῦ λόγου), ἀλλ' ἐξ ὄνου περιεργίας . . . . ἀνασωθεὶς (56,20. Courier p. 94: recous de la peau de l'âne où m'avoit emprisonné ma sotte curiosité). — Sicut autem longis erroribus laboribusque iactatus experimento Lucius didicit nisi maxima cum clade subtilius in artem magicam inquirere non licere, ita nimiam prudentiam in asino damnosam esse, quae ei verberum fructum reddiderit, immo in periculum mortis vocaverit. Ad locum illum c. 42 supra allatum confer, quod in velocissima fuga deprehensus asinus statim vulnus recordatus claudicat (24,21); ad c. 40 (κἀγὼ μὲν ᾤμην κομψόν τι τοῦτο πρὸς σωτηρίαν ἐμὴν εὑρηκέναι), quod asinus in via procumbere neque ullo modo surgere statuit, sed alterum asinum, qui id iam perfecit, a latronibus occidi videt (c. 19; ἐγὼ δὲ ὁρῶν ἐν τῷ συνοδοιπόρῳ τῶν ἐμῶν βουλευμάτων τὸ τέλος, ἔγνων φέρειν εὐγενῶς τὰ ἐν ποσί, 20,8). Quid, quod idem Lucio ex asino servato accidit, quippe qui mulieri, quam asinus delectaverat, homo ὡσπερεὶ μέγα τι ποιῶν ἀγαθὸν (56,2) praesto sit, sed ut eius libidini impar (56,8 sq.) contumeliose nudus, coronatus, unctus foras proiciatur? Recte solum prudentia utitur, quod stuppa aliquando sibi imposita ab nequissimo puero agasone inflammata in lacunam palustrem se abicit eoque et ignem exstinguit et ne iterum stuppa accendatur, efficit (c. 31); imprimis autem, quod in furto iam dudum facto — id quod propter humanum suum stomachum ei saepius accidit (17,1; 21,29; 46,17) — quamvis cum magno suo pudore deprehensus (c. 47,2), tamen τὴν τύχην ὁρῶν ἤδη ἁπαλόν μοι προσμειδιῶσαν καὶ μαθών, ὅτι με τοῦτο μόνον τὸ παίγνιον ἀνασώσει (47,8) facile omnibus artibus imbutus accumbendo, edendo, bibendo, luctando, saltando, ad voces annuendo renuendoque spectatores oblectat, ita ut ipse eorum ignorantia ad delicias suas usus (48,28) et maximus, pinguissimus (50,13), pulcherrimus (50,16) asinus fiat et ut κτῆμα παράδοξον (48,14) fama celeberrimus (48,23; 49). Qua in re quamquam homo in asino absconditus parum pudore usus est, tamen in theatro τὰ παράδοξα ἐκεῖνα τὰ παίγνια (49,6) exerciturus et mulierem palam inscensurus (52,22) haeret, haud scio an potius ursi vel leonis timore permotus (53,1). Tamen turpissimum illud ei faciendum fuit, nisi ab praetereunte quodam rosas rapuisset et reformatus esset (c. 54). — Ac cetera quidem asini quamquam ipsa non sine delectatione leguntur, tamen hic omittimus, cum minus deridendi cuiusdam consilium ea prodere affirmari possit. Illud autem non inepte narratum videtur, quod asinus, qui tam pudicum se praebuit, ut nefanda illa Metragyrtarum conspicatus ὑπεραλγήσας ἐπὶ τῇ μεταβολῇ (38,13) Iovem invocare studuerit et sic mysteria eorum patefecerit et quod puer ille agaso mendaciter ei opprobrio dederat, ut ἔργον ἀνόσιον (32,7) aspernatus sit, idem postea haud invitus perfecisse dicitur (c. 51); neque illud, quod asinus praeter hominum cibi cupiditatem ita cum illorum opinionibus congruit, ut, quod puella in ventrem suum insuta μηδὲ νεκρὸς εὐτυχής (26,22) iaciturus sit, maxime doleat, ut eunuchus nequaquam vivere velit, sed aut omnino cibo abstinere aut de monte se praecipitare, ἔνθα ἐκπεσὼν θανάτῳ οἰκτίστῳ ὁλόκληρος ἔτι καὶ ἀκέραιος νεκρὸς τεθνήξομαι (c. 33 extr.).

Quod si haec tecum reputaveris, nonne hominem quendam, qui nimis curiose in naturae secreta inquirere videretur vel detecta quaedam libris proferre se simularet, qui nimis fabulose narraret turpibusque rebus indulgeret, hic derisum esse statuere licet? Nonne etiam dicendi narrandique eius genus leviter illudi potuit? Certe id fieri potuisse concedendum est (cf. Bürg. p. 59) et irrisionem etiam maiorem futuram fuisse, si et argumenti summa et verba quaedam figuraeque ab illo petita essent, si Asini auctor Lucium Patrensem imitatus esset et quae ille de aliis, eorum similia de se ipsum narrantem fecisset. Sed ea tantum illius librorum, quae a proprio consilio aliena erant, amputare, reliqua αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν in unum librum coniungere non est irrisio. Quid quod Lucius σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων τὰς μεταμορφώσεις καὶ τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον narrasse dicitur? An Asini auctor ullo loco verbis aut rebus se minus transformationibus credere declarat? Nonne qui aliquid narrat, suo fidem et habere et facere se velle simulat, nisi aut falsa fingere vel ab aliis accepisse se affirmat aut res in maius extollendo sibi credendum esse negat? Quod quidem tantum abest, ut Asini auctor secutus sit, ut Manso eum cavillandi causa eadem cum credulitate qua Lucium Patrensem narrasse dicat (p. 250), qua re magnopere cum Rohdeo dissentit. Superstitiosum sane, praeterquam quod Lucii transformationem reformationemque ut rem quotidianam narrat neque aut Hypataeos aut Thessalonicenses de re magica dubitantes facit, se non praebet, id quod Photius de Lucio Patrensi praedicat. Utrum Lucium re vera superstitiosum fuisse sequitur an talem Photio visum esse? At fuisse fingamus; tamen constat, si quae ad verbum Asini auctor ex illo petierit, in iis non aliter Lucium versatum esse quam plagiatorem (Courier p. 13: Comment donc concevoir que de ces deux ouvrages où tout étoit pareil, l'un fût sérieux, l'autre bouffon?). Sin autem aequalium superstitiones non ut ille ad lepidam fabulam conscribendam adhibuerit, sed religiosa quadam fide amplexus sit, non intellegitur eandem fabellam paucis mutatis (Rohde p. 11) prorsus diversam speciem prae se ferre potuisse (Goldbach. p. 410). Caute igitur Manso dicit (p. 250): Lucian erzählte, inwieweit sich's thun liess, mit den nämlichen Worten. Quae autem cum severa illa superstitione narrata esse censeat, non declarat Rohde nisi quod in Metragyrtarum potissimum moribus describendis

mysticum, ut ita dicam, studium eum exercuisse putandum esse dicit (p. 18). At inspice capita illa (36-41) et delibera, quam facile haec in contrarium mutentur. Cetera vera omnino ita tractari posse, ut scriptorem omnibus aequalium superstitionibus studuisse recte dicatur, negandum est (Goldbacher p. 410). An nulla fabula, cuius primas agat partes asiuus, ita narrari possit, dubitare licet, praesertim cum asinum per se propter stupiditatem movere risum ipse Rohde sentiat (p. 13). At fieri posse intellegitur ex Apulei Metamorphoseon libro undecimo. Sane vero. Sed lege Lucii illam Isidis implorationem; risum tenere non poteris, si asinum precantem et ritus exercentem (XI, 1. 7) animo conceperis. Atque Apuleius quamquam in fabula ipsa ex Graeco petita asinum narrare saepe obliviscitur (cf. VII, 2. VIII, 27,7) et suum ingenium adhibet, iuterdum tamen errore cognito aut ab initio se excusat (IV, 6,21) aut grandi dicendi genere abreptus ipse se interrumpit (X, 33,29). —

Quod si Photii illud de Lucii superstitione iudicium non ita intellegimus, ut Lucium et Asini auctorem in iis, quae alter cum altero communia habeat, diversas exhibuisse opiniones statuamus, quaeritur, utrum patriarchae omnino fidem abrogemus au quibus rebus eo iudicii adductus sit, explicemus. Ac fidem quidem abrogare, quod Lucium fabellas suas (vel potius homiues animaliaque transformari posse) credidisse minime verisimile sit (Courier p. 12 une rêverie toute manifeste; Teuffel p. 455 ganz unglaublich), non licet, quoniam etiam Augustinus de Civ. Dei XVIII, 8 dubitat, utrum Apuleius se accepto veneno asinum factum esse indicaverit an finxerit, et illius aetatis homines variis superstitionibus imbutos fuisse constat (cf. Rohde p. 8). Qua re etiamsi Lucius fabulas suas ipse finxerit, id tantum sequatur scriptorem, quae ipse finxisset, non vere facta esse, sed potuisse fieri putasse. Quamquam qui superstitionibus eo consilio utitur, ut lepidam fabulam conscribat, haud iniuria his liber esse videatur. — At alia praeterea in duobus prioribus Metamorphoseou libris inerant, quibus superstitiosiorem se praeberet auctor. Quod quidem iam Courier coniecit, qui talibus fabellis, quales apud Apuleium exstent, (»un tas d'extravagantes fictions, de contes de sorciers, de fables à faire peur aux petits eufants« p. 18), ita offensum esse Photium affirmet, ut Lucium ridiculae credulitatis putaret. Neque inepte ab initio Socratis, Thelyphronis, Lucii utricidae fabulas attulit; tamen, quo iure illas aliasque ex Lucio petitas esse contenderet, in medio reliquit. Siu autem Apuleium ex Lucio hausisse probare velis, haud exiguum adminiculum sit, si illis, quae Graeco fonti tribueris, Photii iudicium confirmetur. Nam hoc ad ceteras tantum Metamorphoseon narrationes, ad quas et propter τὰς ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους (cf. Rohde p. 24) et propter illud »τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον« aeque spectare videtur, referendum esse (Teuffel p. 455) equidem non statuam, quoniam in Asiuo et duobus prioribus potissimum Lucii libris comparandis patriarcha versatur. Quod vero Goldbacher tali fere epilogo, qualis apud Apuleium inveniatur, Photium, ut superstitiosa gravitate Lucium narrasse statueret, commotum esse dicit (p. 413 sq.), locum non habet. Nam Apulei epilogum illius proprium esse adhuc omnes consenserunt (v. infra) et facile probari potest, neque quemquam nonnullis capitibus (Goldb. p. 413), nedum loco quodam, ut Bürger vult (p. 10. 31), ad contrariam de totius libri ratione sententiam pervenisse verisimile est. Rectius vir clarissimus ad contrarium illud de Lucianeo libro iudicium Photium eo magnam partem esse adductum videri sentit, quod iu Luciani operibus Asinum invenerit, id quod facile ex verbis ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις concludi possit (p. 414; Bürger p. 8).

Iam eo pervenimus, ut ex Apulei Metamorphoseon libris fructum capiamus. Nam totum Asinum, sicut est, in Lucio exstitisse, sed ita auctum, ut diversa illa, si quis proprium consilium sequi voluerit, omittere et reliqua αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν in unum librum coniungere potuerit, probatum videtur, iis, quae repugnare putentur, aut refutatis aut aliter intellectis. Perscrutandum igitur est, num quid eorum, quae apud Romanum cum Asino coniuncta sunt, eiusmodi sit, ut non ab Apuleio, sed iam in Graeco exemplari affixum esse videri possit; quae cum inventa erunt, utrum ab initio simul cum Asino conscripta esse an a Lucio, qui dicitur, Patrensi adiuncta existimanda sint.

Ac primum quidem Apuleius qua ratione in Asino ipso latine interpretando versatus sit, explicabimus. Ut autem Asinus quibus et quot capitibus apud Romanum exstet, cognoscatur, hanc tabellam adieci (Rohde p. 15):

As. 1-3.8 ἐκοιμήθημεν = Ap. I, 2. 21-24.27 balneas. 26.	As. 27-33 = Ap. VII, 14-24.2 integer.
As. 4-10 = Ap. II. 1-3. 5-7. 10. 15-17.	As. 34-39 = Ap. VIII. 15.16-27 relinquentem. 23-31.
As. 11-16 = Ap. III. 19-22. 24-26. 28-29.	As. 40-45 = Ap. IX, 1. 2.7-20. 9-11. 32. 39-42.
As. 17-22.7 ἐδείπνουν = Ap. IV, 1-5. 7-8.11 remeavimus. 22-24.12 excussit.	As. 46-53 = Ap. X, 13-23.8 frequentaret. 34.13-26.
As. 22.8-26. 24 ἐσόμενος = Ap. VI. 25-32.	As. 54-56 in Apuleio desunt.

Primum quidem offendit, quod prorsus diversa nomina personis indita sunt. Eadem atque in Graeco exemplari Lucio tantum sunt et Philebo, deae Syriae sacerdotum principi (As. 36,25. Ap. VIII. 25.22). At Δεκριανός, a quo Lucius literas commendaticias acceperat, est Demeas (As. 2,18. Ap. I, 21,4); Ἵππαρχος, Hypatensis Lucii hospes, Milo

(As. 1,8. Ap. I, 21,23), eiusque ancilla Παλαίστρα Fotis (As. 2,29. Ap. I, 23,14); Ἄβροια, Lucii matris amica Hypatensis, Byrrhaena (4,20. II, 3,3); Μενεκλῆς, qui munus editurus asini aspectu populum in theatro delectare vult, Thiasus (49,34. X, 18,8). — Nomina suut indita patri Lucii Theseo (I, 24,12) et matri Salviae (4,21. II, 2,20), quae utrum commutata an inventa sint, propter lacunam illam (As. 55,21) dubitare sane licet, Milonis uxori Pamphilae (4,30. II, 5,16), virgini a latronibus captae Charitae (22,38. VII, 12,17) eiusque sponso Tlepolemo (26,28. VII, 12,15); omissum est equorum magistri mulieris nomen Μεγαπόλη (28,13. VII, 15,9), Γάϊος fratris Lucii cum ipso epilogo (As. 55,22). Quis et quo consilio (cf. Hildebraud ad Ap. II, 14) hic novis rebus studuerit, perscrutari longum est, sed si locorum nomina mutata vel omissa Apuleio tribuenda esse probaverimus, illud quoque Romauo deberi concedendum est.

Λουκίου enim est patria Πάτραι τῆς Ἀχαΐας (55.25), Lucii Corinthus (II, 12.11; cf. I, 26.9), itaque, qui peregrinaturum Hipparcho litteris commendavit, Δεκριανὸς ὁ Πατρεὺς σοφιστής (2,18), appellatur Coriuthius Demeas (I, 22.15). Neque vero Thiasus, cum ad Ceuchreas sex passuum milibus a Corintho sitas (X, 35.1) Apuleius asinum reformari voluerit (XI, 13), ἐκ πόλεως τῶν ἐν Μακεδονίᾳ τῆς μεγίστης, Θεσσαλονίκης (46,6. 49,34), gladiatores paraturus ad Macedoniae quoddam oppidum pervenerat, sed oriundus patria Corintho Thessaliam etiam accesserat (X, 18), itaque cum asino non Thessalonicen (49,2), sed Corinthum redit (X, 19,29). Μενεκλέα autem in Macedonico, non Thessalico oppido asinum invenisse ex eo concludi potest, quod Lucii domini fugientes ἐς πόλιν τῆς Μακεδονίας Βέροιαν μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον advenisse dicuntur (34,42) et asinus quamquam per multas etiam regiones vagatus est, tamen uullius loci nomine exhibito etiam tum in Macedonia versari putandus est. Apuleius vero cum eodem illo loco tantum civitatem quandam populosam et nobilem commemoraverit (VIII, 23,25), postea quoque de Thessalia cogitare potest. — In maiorem etiam incidit errorem similiter, quod cum Graeco quidem Lucium Thessaliam ex negotio petentem (1,1. I, 2.16) et Hypatam, florem Thessalicae regionis (I, 25,21), omnis provinciae voluptarios secessus (II, 19.10), splendidissimam et unicam Thessaliae civitatem (III, 11.25), pervenientem (1.7. I, 21.22) facit, sed ei Larissam proficiscendum esse et Hypatae magam tautum investigare miraculumque videre eum velle (3.11 sq.) plane omittit, quamquam non die altero (3,9), sed iam primo Lucii adventus Milo accuratius causas peregrinationis percontatur (I, 26.10), scilicet, ut postridie statim Lucius rebus magicis investigandis operam det (II, 1). Itaque fit, ut Palaestrae certaminibus ita oblectatum se esse Λούκιος profiteatur, ὥστε τῆς εἰς Λάρισσαν ὁδοῦ παντάπασιν ἐπιλελήσμην (11,16), Lucius autem illo loco non allato (II, 17,2) iisdem voluptatibus commotum se nec larem requirere nec domuitionem parare dicat (III, 19.18, cf. As. 11.23). — Deprehendis igitur Apuleium inconsiderate narrantem. Nam Beroeas et Larissae nomina addendi ei, qui Lucii Patrensis libros epitomaverit — nam et hanc quamvis improbatam sententiam paucis semper attingam —, nulla causa erat neque ei, qui Asinum iisdem Graecis verbis in Metamorphoseon corpus receperit, omittendi. Asinum porro Corinthum tandem adveuisse ei fingendum erat, qui Apulei librum undecimum composuit. Illum autem Apuleium fuisse iuter omnes Goldbachero (p. 412 sq.) et Diltheyo (cf. Bürg. p. 52) exceptis constat et infra argumentis quibusdam comprobabitur. Mireris etiam, quod is, qui asinum tam variis casibus agitatum et tam varias vitae condiciones expertum fecerit, nihil de maritimo itinere (X, 19,28) commemoraverit. Quod si quaesiveris, qua re Apuleius, ut Corinthum potissimum Thessalonicae praeferret, commotus sit, facile, cum Athenis aliquamdiu moratus (Hild. p. XX) Corinthum saepius visere potuerit, cum Isidis diem festum Cenchreis celebratum (XI, 8-17) eiusque mysteria ibi culta (XI, 21-25), fortasse etiam munus quoddam Corinthi editum (X, 29-32. 34.12) describere voluisse conicias, quae ne ad aliam urbem trausferret, et benevolentiae illorum hominum captaudae studio et sua ipsius Coriuthi recordatione eum esse impeditum. Attamen Lucium ipsum Corinthium fingere non opus erat, et Apuleius Coriuthum eius patriam esse adeo nou recordatur, ut asiuus eo profectus uihil se in patriam pervenisse commemoret (X, 19), nedum aut affinibus, qui et ipsi eum spectandi admirandique causa intrare potuerunt, aliquo modo ut sollertissimus asinus, quis sit, aperiat aut facultate data (X, 35.31) ad eos confugiat. Quam perverse autem in libro undecimo de hac re egerit auctor, uunc omittimus.

De parentibus Lucii ex Asino id tantum cognoscimus, provinciae praesidem quondam domo eos excepisse et donis honorasse (As. 55,26) ideoque nou ignobiles fuisse, id quod etiam apud Apuleium inveuimus (II, 3.2). Qui pater, quae mater fuerit, nescimus. At Apuleius matris quidem uon solum nomen affert, sed etiam de genere disserit. Lucius enim Hypatae ignotae sibi mulieri obviam fit, quae in Asino Abroeam se esse, matris ipsius amicam, profitetur (4.20 ἐγὼ Ἄβροιά εἰμι, εἴ τινα τῆς σῆς μητρὸς φίλην ἀκούεις), apud Apuleium auteu (II, 3) Byrrhaenam, Salviae matris non modo sanguiuis verum alimoniarum etiam sociam, quippe quae et familia Plutarchi ambae prognatae sint et eandem nutricem simul biberint et in nexu germanitatis una coaluerint. Non repugnandum est, sed mirum, cur Lucius ad alienum potius hominem quam ad matris sororem deverterit. Nam amicam in illa Thessaliae urbe morari mater uescire potuit, vix sororem. Quid illud, quod Byrrhaena uno eodemque loco se Lucium suis manibus educavisse dicit et illum forte saepicule nomen suum inter educatores frequentatum retinere (cf. As. 4,20)? Quid, quod quamvis non ignobilis mulier (4.17. II, 2.11)

dignitatem se et Salviam discernere praedicat, quod illas clarissimas, i. e. maioris cuiusdam provinciae magistratus (Hildebr.), ipsa privatas nuptias fecerit, et tamen initio fabulae legitur »Thessaliam — nam et illic originis maternae nostrae fundamenta a Plutarcho illo inclito ac mox Sexto philosopho nepote eius prodita gloriam nobis faciunt — eam Thessaliam ex negotio petebam« (I, 2.16)? Nonne Byrrhaena ipsa familia Plutarchi prognata est? Putes hoc loco illum explicari III, 11.13 »nam et provinciam totam inclitae vestrae familiae nobilitas complectitur«. Sed clarissimae illae nuptiae idem probant neque difficile est credere hic magistratum urbis se excusantem, quae forsitan modo a Milone vel Byrrhaena acceperit, in maius extollere. At sunt, qui verba illa interpolata esse statuant, quod Plutarchus Chaeronensis non Thessalus dici possit (Oudendorp. ed. Hild.; Rohde p. 25); ac recte quidem, cum ea, quae Hildebrand affert, probare non liceat. Sin autem cum Goldbachero ita interpreteris, ut maternam originem Lucio et alibi et in Thessalia gloriam parasse dicatur, literarum quidem illo errore Apuleius liberatus sit, inepte dicendi crimine nequaquam. Nam quomodo scriptor, qui Graecum se esse professus, quod latine loqueretur, excusavit et Graecanicam fabulam incipere voluit (I, 1), illum de se ipso narraturum, de quo nihil adhuc accepimus, ita loquentem facere potuit? Ita loqui ei licebat, qui iam de se professus erat. Ergo ponendum est aut eundem primo ac secundo capite de se narrare aut verba interpolata esse vel certe Apuleium perverse aliquid exemplari addidisse.

Iam videamus, qua ratione Apuleius in personarum moribus describendis versetur. In XI. libro (15.27) Isidis sacerdos haec de Lucii fortuna profert »Lubrico virentis aetatulae ad serviles delapsus voluptates curiositatis improsperae sinistrum praemium reportasti«. Ac primum quidem de Lucii curiositate ex iis potissimum, quae Graeco exemplari debentur, pauca dicam (cf. supra). De Lucio homine haec exstant: »Anxius alioquin et nimis cupidus cognoscendi, quae rara miraque sunt« II, 1.22 (As. 4.13); »At ego curiosus alioquin ut primum artis magicae semper optatum nomen audivi« II, 6.2 (As. 5.35). II, 6.10 cf. As. 5.38. »Sum namque coram magiae noscendae ardentissimus cupitor« III, 19,11 (As. 11,19). As. 12.37 non invenitur apud Ap. III, 21.9. Sed Λούκιος quidem severo quodam in naturam inquirendi studio se transformari vult (As. 3.19). Lucius eo tantum consilio, ut suae Veneri Cupido pinnatus adsistat (III, 22,3), et transformatus se quamquam perfectum asinum sensum tamen retinere humanum sentit (As. 15,39). Vides autem — quod etiam pluribus exemplis probabitur — Apuleium vel gravissimum omittere, dummodo quid facete dicat ingeniumque suum exerceat. Id quoque iam animadvertendum est, quod quamquam Lucii cutem tenellam in corium duratam esse hic narratur (III, 24,5), tamen Apulei asinus de rupe deiciendus (VI, 26.6) queritur, quod illa ipsa praeclara magia sua victum laboresque sibi tantum asini, verum corium non asini crassum, sed hirundinis tenue membranulum circumdederit. — Iam cetera de asino contemplemur. Locus ille, ubi recens asinus curiositatem suam detestatur (15,8), apud Apuleium deest, quippe qui novum quod de suo ingenio additurus (III, 27) totam illam asini meditationem (As. 15,7-10) omittat. At As. 45,31 respondet IX, 42.12 »curiosus alioquin et inquieti procacitate praeditus asinus«, et Lucius unico solacio aerumnabilis deformitatis suae recreabatur, quod auribus grandissimis praeditus cuncta longule etiam dissita facillime sentiebat (IX, 15.8), et se cum Ulixe comparans ipse gratas gratias asino suo meminit, quod eum suo celatum tegmine variisque fortunis exercitatum etsi minus prudentem, multiscium reddidit, dum praesentiam eius parvi facientes (cf. VII, 12,6) libere, quae volunt, omnes et agunt et loquuntur (IX, 13). Prudentiam quandam exercet eodem quo Λούκιος eventu IX, 11.22 »rebar ut minus aptum et huiusmodi ministerio satis inutilem me ad alium quempiam utique leviorem laborem legatum iri vel otiosum certe cibatum iri« cf. As. 42.22 (v. s.); VI, 30.26 cf. As. 24,41 (v. s.); IX, 1.23 cf. As. 40.21 (v. s.); IV, 4. As. 19. (IV, 5.11. As. 20.8; v. s.) Exempla verae prudentiae sunt: As. 31. VII, 20; As. 47,8. X, 16,27 (v. s.), necnon, quod quae (δίχα τοῦ μανθάνειν As. 48,22) nullo monstrante facere poterat, ea se discere simulat, ne velut monstrum ostentumque obtruncetur (X, 17.29 sq.). — Ceterum asinus ipse cavillatur: IV, 1,12 »sic oscula mutua quamvis asino sentire praestabant« (As. 17,35 ὅσον ἦν ἐκ τῶν γενομένων σκοπεῖν); VII, 12.13 »de verbis quibusdam dubiis sed non obscuris prudenti asino cognosco«; IX, 30,28 »unde tu, astutule asine, scire potuisti«; X, 13.5 »nec enim tam stultus eram tamque vere asinus, ut dulcissimis illis relictis cibis cenarem asperrimum faenum«. Asinus, quo a latronibus fugiat, deliberans ipse se interrumpit »haec quidem inepta et prorsus asinina cogitatio« VI, 26,12; totum mulierum sexum vituperans, »et tunc quidem totarum mulierum secta moresque de asini pendebant iudicio«. His adde, quae iam supra attuli, IV, 6,11; X, 33.29. — Quamvis vere asinus Lucius tamen aliquamdiu humanum stomachum exhibet (IV, 1,17; As. 17.1. IV, 22,6; As. 21,30), sed tam profundum, ut eum instanter ac fortiter manducantem ne somnus quidem imminens impedire potuerit, et quamquam prius, cum esset Lucius, unico vel secundo pane contentus mensa decedebat, tunc iam ferme tertium qualum rumigaverit, quoad tandem iam clara luce asinali verecundia ductus aegerrime tamen digressus est (IV, 22.12-23,18). Qua re recte ne manduco summus nominetur (VI, 31.22; VII, 27.6), ipse diiudicare potes. — Vere asinum iam gerit nullo magistro IV, 5,17 (»lassitudinem vice lavacri pulveris volutatibus digerebam«), modo transformatus iam secum deliberat, an Fotidem spissis calcibus feriens et mordicus adpetens necare debeat (III, 26.27; contra As. 15,40 πολλὰ οὖν κατ' ἐμαυτὸν μεμψάμενος τὴν Παλαίστραν, δακὼν τὸ χεῖλος ἀπῄειν), itaque mordicus exsistit VIII, 23,5, crudeliter, quamvis etiam misericordem se praebeat

(IV, 24,12 »mihi etiam lacrimas excussit«; As. 22,5), calcitrat IV, 3,24 (As. 18,17); VII, 19,22 (As. 31,22); VI, 26,10 »an custodiam anus semimortuae formidabis, quam licet claudi pedis tui calce unica finire poteris«; VI, 27,19; VII, 22.12. Immo in socium suum equum, quod recentem asinum non hospitaliter exceperit, graviter consulere statuit (III, 27,15). — Quot autem verberibus affectus sit, cognosces, si illam de puero agasone partem legeris (VII, 17-23; As. 29-33), atque ita interdum conciditur, ut nisi naturali praesidio carnifices abigere non possit (IV, 3,11-14 cf. As. 18,25-26; VII, 28,1-3), quamquam alias plagis non magnopere se commoveri ut consuetum concidi fustibus ipse confitetur (VII, 25,19). — Quid mirum, si tantis cladibus cruciatus mortem petit? Attamen, cum asinus aut patienter omnia perferat aut calcitrando aliave ratione auxilium sibi paret, immo necem effugere studeat (VI, 26,29; As. 23,33. IX, 1,6; As. 40,17. VII, 24,8), temere Apuleius ab initio nondum graviter cruciatum salutem recusantem sponte venenum rosarium i. e. rosas laureas sumere gestire fingit asinum, quod ne faciat, verberibus impeditur (IV, 3,18), neque minus inepte, quamquam recte (ἀπολέσων τὸν ἐν τῷ ὄνῳ ἄνδρα 33,32) asinus in novissima parte corporis totus periturus (VII, 24,31) de morte cogitat et mulierem palam inscensurus mortem sibi consciscere vult, priusquam scelerosae mulieris contagio maculetur vel infamia publici spectaculi depudescat (X, 29.6), quippe qui ex theatro non de pudore iam sed de salute ipsa sollicitus aufugiat (X, 24.19-25.27; As. 53,37) et eadem re venerea etiam magis delectatus sit quam Λουκίου asinus (X, 20-22; As. 51) neque pueri opprobrium ut ἔργον ἀνόσιον (32.7) repudiaverit (VII, 20,13). -- Apulei enim asinus, ut hominem Lucium, qui Fotidis amore quasi exsultat (II, 7-11,24; 16-17. III, 19-20. 22 extr. cf. As. 6-11), omittam, quamvis ipse interdum pudicum se praebeat — (de deae Syriae sacerdotum castimonia »nec diu tale facinus meis oculis tolerantibus« VIII, 29.15; As. 38, 13; de pistore deterrimam coniugem sortito IX, 14.12; de eius muliere IX, 26.28) —, tamen in ipsa transformatione nullum videt solacium nisi quod ei iam nequeunti tenere Fotidem natura crescebat (III, 24.10), puellae et asino tali concupiscendae (IV, 23,24; As. 22.38 παρθένον σφόδρα καλήν), cum asino veheretur, delicatas voculas adhinnire temptabat et scalpendi dorsi sui simulatione pedes decoros puellae basiabat (VI, 28,4), et equinis armentis congrex equas opportunissimas iam sibi concubinas futuras deligebat (VII, 16.24. As. 28,21 εἰ δέ ποτε καὶ συνελάσειέ με ταῖς ἵπποις ὁ νομεύς, παιόμενός τε καὶ δακνόμενος ὑπὸ τῶν ἀρσένων ἀπωλλύμην). — Quod talis asinus non admodum modestus est, sed primum quidem timide et satis parce dominorum cibos subripiebat, tum autem fiducia latendi pleniore capta partes opimas quasque devorabat (X, 14,8; As. 46,20) et in furto deprehensus gaudio praesentium fiduciam sibi subministrante nec tantillum commotus securus esitabat (X, 16,28; cf. contra As. 47,2), non est, cur mireris, neque quod conspectum atque famigerabilem suis miris artibus effecisse se dominum praedicat (X, 17,2; cf. As. 48.23 τὸ πρᾶγμα περιβόητον ἦν), ita tamen ut, cum Corinthum accederent, magnae civium turbae confluerent, ut ei videbatur, non tantum Thiasi dantes honori quam asini conspectus cupientes (X, 19.29 sq. As. 49.2 οὐκ ἦν ὅστις ἐπὶ θέαν οὐκ ἠπείγετο καὶ τὴν ὄψιν τὴν ἐμήν; cf. X, 19.32; As. 50,7). Quae quidem iactatio iam X, 18.19 sq. patet, quod Thiasus posthabitis raedarum carpentis equis Thessalicis et aliis iumentis Gallicanis asinum exornatum residens amantissime nonnumquam adfatus esse dicitur (As. 49,38 κἀγὼ τὸν δεσπότην ἔφερον, εἴ ποτε χωρίον εἴη τῆς ὁδοῦ τραχὺ καὶ τοῖς ὀχήμασιν ἐπιβαίνειν χαλεπόν). Sed ipse cavillatur de futura gloria sua, cum virgo dorso suo fugiens sic eum alloquatur (VI. 29,25): »Visetur et in fabulis audietur doctorumque stilis rudis perpetuabitur historia Asino Vectore Virgo Regia Fugiens Captivitatem. Accedes antiquis et ipse miraculis« (cf. VII, 13.30 »virginem asino triumphantem«). Quod addit »Quod si vere Iupiter mugivit in bovem, potest in asino meo latere aliqui vel vultus hominis vel facies deorum« est eorum, quibus Apuleius identidem usus est. — Λούκιος quidem praeter locum 48.28 (v. s.) de homine in asino abscondito commonefacit c. 27.7 (καὶ αὕτη δικαιοτάτη ἀμοιβὴ ἐδόκει τότε, εἰ ἦν τὰ πράγματα ἐν ὄνῳ δικαστῇ) — uterque locus in Metamorphosibus omissus est: X, 17,6; VII, 14.30 —, apud Apuleium vero et asinus ipse hoc meminit (VII, 15,4 quem locum, sicut III, 29,4 (v. s.) cum As. 54.11, haud inepte cum As. 56,2 conferas) et alii optant et suspicantur (cf. praeter VI, 29.5: VII, 25.4 »utinam ipse asinus vocem quiret humanum dare«; VII, 27,13; VIII, 24.28). — Sed haec hactenus, nisi et mythos interpretandi asini sollertiam admirari velis. (»Denique mecum ipse reputabam Pegasum inclutum illum metu magis volaticum fuisse ac per hoc merito pinnatum proditum, dum in altum et ad usque caelum subsilit ac resultat formidans scilicet igniferae morsum Chimaerae« VIII, 16.22-27;) et quomodo adducatur, ut iis fidem habeat: X, 22.27 de mulieris libidine »ut nec Minotauri matrem frustra delectatam putarem adultero mugiente« (As. 51,7 ἐννοούμενος ὡς οὐδὲν εἴη κακίων τοῦ τῆς Πασιφάης μοιχοῦ); VII, 16 de Diomedis Thracii equis; cf. quae virgo illa profert VI, 29,3 »Etiam credemus exemplo tuae veritatis et Phryxum arieti supernatasse et Arionem delphinum gubernasse et Europam tauro supercubasse«.

Multa quamvis non omnia de asini moribus protuli, non tam ut exemplo, quomodo Apuleius Graeca in suum usum vertat, corrigat, depravet, certe augendo risum commoveat, demonstrem quam, quod supra etiam in medio reliquimus, id vel maxime dubitare licere probem. Nam si Romanus, qui adeo hominem quendam deridere noluit, ut et asinum interdum severe loquentem vel philosophantem (verbi causa de iudicum vilitate X, 33), immo in XI. libro ab imis praecordiis deam Isidem implorantem faciat et sub reformati Lucii specie ipse de se suisque initiamentis profiteatur (v. infra)

itaque Lucium asinum se ipsum fuisse suspicionem praebeat — si Apuleius nullo deridendi consilio ita narravit, quomodo Asini auctorem, qui ridicula minus verbis auxerit, quemquam illusisse putandum est? Uterque scriptor res sui lectorumque oblectandorum causa tractavit. Nam quod Rohde (p. 13) ad totum fabulatorum narrandi genus ludificandum verbi causa locos 19.34; 35.19 spectare contendit (v. s.), tam leve est, ut quomodo id fieri potuerit, ex Apuleio demonstrare liceat.

As. 19.34 ἀλλά τις δαίμων βάσκανος συνεὶς τῶν ἐμῶν βουλευμάτων ἐς τοὐναντίον περιήνεγκεν. IV; 5,29 »sed tam bellum consilium meum praevertit sors deterrima«. — As. 35.19 ἡ δὲ πολλὰ πολλάκις δινουμένη καὶ μεταπίπτουσα Νέμεσις ἤγαγε κἀμοὶ τὸν δεσπότην. VIII, 24.15 »sed illa fortuna mea saevissima, quam per tot regiones iam fugiens effugere vel praecedentibus malis placare non potui, rursum in me caecos detorsit oculos et emptorem aptissimum duris meis casibus mire repertum obiecit«. — As. 47.8 κἀγὼ τὴν τύχην ὁρῶν ἤδη ἁπαλόν μοι προσμειδιῶσαν. X, 16,27 »nam et ego tandem ex aliqua parte mollius mihi renidentis fortunae contemplatus faciem«. — Haec sola in Asino exstant; iam confer Apuleium: IV, 2.9 »sed agilis atque praeclarus ille conatus fortunae meae scaevitatem anteire non potuit« (As. 17.9 τὰ δὲ ῥόδα ἐκεῖνα οὐκ ἦν ῥόδα ἀληθινά); VII, 16.20 »Talibus aerumnis edomitum novis fortuna saeva tradidit cruciatibus« (As. 28.21); VII, 17. 12 »verum fortuna meis cruciatibus insatiabilis aliam mihi denuo pestem instruxit« (As. 29.27); VII, 20.30 »sed in rebus scaevis adfulsit fortunae nutus hilarior« (As. 31.30); IX, 1.20 »Sed nimirum nihil fortuna renuente licet homini nato dexterum provenire nec consilio prudenti vel remedio sagaci divinae providentiae fatalis dispositio subverti vel reformari potest« (As. 40.24 ἀλλά με τοῦτο τὸ κομψὸν εἰς ἔσχατον ἤνεγκε κίνδυνον); VI, 28,9 »et tu, Fortuna durior, iam saevire desiste« (As. 23.8 ἡ δὲ παρθένος τοῖς μὲν θεοῖς ηὔχετο σῶσαι αὐτήν); X, 13.30 »haud ullo tempore tam benivolam fortunam expertus«.

Ex ceteris Metamorphoseon partibus confer VII, 2.15-25; 3.9 (asinum de Fortuna philosophantem); I, 6.14; I, 7.20; I, 16.17; III, 3.36; IV, 12.17; IV, 14.1; IV, 16.21; IV, 19.4; IX, 27 init.; IX, 38.33; X, 4.8; X, 24.28; XI, 1,19. Plurimis locis illa Fortunae, Providentiae ceterorumque numinum inductio nil nisi formula est, qua ad aliud transeatur.

Atque haec quidem Apuleium de asino commutasse nemo est, qui neget, cum neque epitomatori rei verbis minuendae causa fuerit neque amplificator, qui αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν Asinum receperit, ita narrare potuerit. Apuleius vero hic quidem, quamvis subtiliora lineamenta nonnumquam deleverit, tamen haud plane improbandus est. Sed eadem in maius extollendi cupiditate inductus perverse in Milonis moribus describendis versatur. Hipparchus enim satis quidem pecuniae habere (cf. 16.17) dicitur, attamen ut φιλαργυρώτατος (cf. 4.26) unam modo ancillam suamque uxorem alere dicitur (1.10 sq.); Lucius autem ipse οἰκίδιον ἀνεκτόν (cf. 2.27 οἰκίδιον μικρόν) se vidisse et habitasse κάλλιστον οἰκημάτιον narrat (1.13; 3.32). At Milo ampliter nummatus et longe opulentus (cf. III, 28.7), verum extremae avaritiae et sordis infimae infamis homo, ita cum uxore et una ancilla exiguo Lare (cf. I, 23.8. 12) inclusus et habitu mendicantis semper incedens foenus sub arrabone auri et argenti exercet (I, 21.30 sq.), ut ex Lucio fores verberante, sub qua specie mutuari cupiat, Fotis quaerat (I, 22.9; cf. etiam, quae inepte addita sunt I, 21.3-5). — Intromissus autem Lucius Milonem invenit accubantem exiguo admodum grabatulo et commodum cenare incipientem, pedes eius uxorem assidentem et mensam vacuam positam, cuius monstratu Milo »En«, inquit »hospitium«. (I, 22.19 sq.). Uxorem vero decedere eiusque in locum Lucium adsidere iubet, quoniam prae metu latronum nulla sessibula ac ne sufficientem supellectilem parare sibi liceat (I, 23,24 sq.). Cubiculo autem hospiti designato cum Fotis sarcinulas eo condere et balnearia promere iussa sit (I, 23.9 sq.), Lucius iis spretis, ut se artius Miloni conciliaret, et Fotidi ad faenum atque ordeum equo emendum pecunia data ad balneas pergit (I, 24.20 sq.). Necnon Lucio, quid cuperet, interrogato atque intromisso Hipparchus ἔτυχε ἐν ἀρχῇ δείπνου ὤν, καὶ κατέκειτο ἐπὶ κλινιδίου στενοῦ, γυνὴ δὲ αὐτοῦ καθῆστο πλησίον, καὶ τράπεζα μηδὲν ἔχουσα παρέκειτο (2.21). Statim autem Palaestra vocata cubiculum demonstrat et Lucius pretio hordei dato, cum illa sarcinulas intus deponat, ad balneas abit (3.31 sq.). — Inde reversum Hipparchus secum accumbere iubet. τὸ δὲ δεῖπνον οὐ σφόδρα λιτόν, ὁ δὲ οἶνος ἡδὺς καὶ παλαιὸς ἦν. ἐπεὶ δὲ ἐδεδειπνήκειμεν, πότος ἦν καὶ λόγος οἷος ἐπὶ δείπνου ξένου. Postridie autem Hipparchus, quorsum porro proficiscatur et quot dies (ὁπόσαις ταῖς ἡμέραις) Hypatae mansurus sit, a Lucio percontatur (3,4 sq.). — Recte igitur noster Abroea, cur non ad se devertatur, interrogante vereri se dicit, cum nihil habeat, quod amicum accuset, eius domo fugere (4,24) et ei, quod avarus ille hospes esset, miratae respondet: μηδαμῶς τοῦτο εἴπῃς· λαμπρὸς γὰρ καὶ πολυτελὴς γέγονεν εἰς ἐμέ, ὥστε καὶ ἐγκαλέσαι ἄν τις τῇ τρυφῇ (4.27). Qua quidem ab avari moribus prorsus aliena comitate Abroea commota eo magis Lucium ab Hipparchi uxore, maga pessima et lasciva, cavere iubet (4.30). — At Apulei Lucius ad balneas pergens prius in foro cupidinis pisces sibi emit, sed aedilis valido consilio et nummis simul privatus et cena (I, 24-25) lautus in cubiculum se reportat; unde a Milone ipso, cum veritus scilicet, ne cibis saginaretur, abstinentia illius cognita fatigationem excusaverit, ad grabatulum illum perducitur ibique de Demea, peregrinationis causa, de patria aliisque rebus interrogatus tot et tam varias res enarrare debet, ut tandem evadat rancidi senis loquax et famelicum convivium somno non cibo gravatus, cenatus solis fabulis (I, 26). — Num recte igitur Milonem hospitem sine ulla querela deserere se vereri dicit (II, 8)? Num recte eum probum appellat (II, 6.13; As. 5.3 ξένος καὶ φίλος), bonum (III, 5.28), bonum

hospitem parentemque suum (III, 7.7), hospitem sibi carissimum (VII, 3.29), cuius pro salute et homicida (vel utricida III, 18,2) est et reus capitis inducitur (III, 7.10), cui furtum fecisse non modo latrocinium, verum etiam parricidium sit (VII, 3,29)? — Sed ne prorsus fame absumatur — nam et II, 7.25 ancilla non δεῖπνον ἡμῶν εὐτρεπίζουσα est (As. 5,8), sed suis dominis (cf. Hild., Eyss.) parat cenam haud spernendam — mittit Byrrhaena xeniola porcum opimum et quinque gallinulas et vini cadum in aetate pretiosi (II, 11.17), necnon eodem die Milonis boni concinnaticiam mensulam rogatus adcumbit (II, 11,25), unde hospite iterum diutine sermocinante etiam superioris diei fatigationem excusans in cubiculum revertitur (As. 7,33 λουσάμενοι ἐδειπνοῦμεν, καὶ πότος ἦν συχνὸς ἡμῶν ὁμιλούντων. εἶτα τοῦ ὕπνου καταψευσάμενος ἀνίσταμαι) et illic deprehendit epularum dispositiones satis concinnas (II, 15; cf. II, 15.14 »grabatulum adstitit mensula cenae totius honestas reliquias tolerans et calices«, contra As. 7.37 τράπεζα δὲ τῇ κλίνῃ παρειστήκει ποτήριον ἔχουσα). Necnon Risus die festo Milo iussis balnearibus adsequi producit Lucium ad lavacrum proximum (III, 12.9) et paupertina cenula una perfunguntur (III, 13.16). — Ita igitur Apuleius a suo mores Milonis deridendi consilio descivit neque illo famelico tantum convivio lectoribus descripto, qua re potissimum Byrrhaena, ut hospitis uxorem iam petere Lucium putaret, commota esset (cf. As. 4.28 ἡ δὲ μειδιάσασα), exposuit (II, 5.15). Quod si hunc Apulei Lucium et Milonem cum Asini auctoris Lucio et Hipparcho comparaveris, haud facile hominum mores ab utroque eadem ratione descriptos esse Teuffelio (p. 448) assentieris.

Atque in Milone quidem Apuleius consulto ab exemplari digressus res confudit; neglegentiae vero totum turbantis hoc habes perspicuum exemplum. In Asino (c. 1,2) legitur: ἵππος δέ με κατῆγε καὶ τὰ σκεύη, καὶ θεράπων ἠκολούθει εἷς. Apuleius prae nimia, quomodo Lucius eiusque equus viae fatigationem discusserint, describendi cupiditate (I, 2.1-7) servi oblitus est necnon I, 24.20, quo loco, cum pluribus verbis Milonem balnearia offerentem (I, 23.16-19; As. 2.30), Lucium recusantem (I, 24.20-23) et celerrime forum cupidinis petentem (I, 24-25) fecerit, totum hunc Asini locum omisit: As. 3.31 Ταῦτα εἰπόντος τὸ παιδισκάριον ἡ Παλαίστρα ἄγει με καὶ δείκνυσί μοι κάλλιστον οἰκημάτιον, καὶ „σὺ μὲν“ ἔφη „ἐπὶ ταύτης τῆς κλίνης κοιμήσῃ, τῷ δὲ παιδί σου σκιμπόδιον αὐτοῦ παραθήσω καὶ προσκεφάλαιον ἐπιθήσω.“ Nihil igitur mirandum est, quod, cum Lucius rem cum Palaestra habiturus esset, τῷ παιδὶ ἔξω ὑπέστρωτο (7.36), maxime autem, quod Apuleius, qui nullam adhuc servi mentionem fecerit, eodem loco (II, 15.12) pueris extra limen humi quam procul distratum fuisse dicit. Attamen, quamquam nonnulli hic commemorantur (cf. XI, 20.16), Lucium apud Byrrhaenam epulantem a famulo suo noctis admonitum esse legimus (II, 31.7), necnon Hypatensis magistratus Lucio homicidii arcessito, qui comitatus esset eum, puerum clanculo profugisse fingit (III, 8.30), et Lucius asinus, qui vesperi suis manibus equo ordeum adposuisse se praedicat (III, 26.11), cum roseas corollas, quibus Eponae deae simulacrum ornatum erat, adpeteret, a servulo suo, cui semper equi cura mandata fuerat (III, 27.22), verberibus repellitur. Latronibus autem irrumpentibus ille profugit territus (ib. 31), cum in Asino cum Hipparcho et Palaestra ἔνδον ἐν δωματίοις vinciatur (16.16). Eundem servum autem ibidem in hospitio repertum per magistratus tormentis vexatum esse dicit Apuleius VII, 2.8. — Iterum igitur Apuleium in rebus commutandis sibi non constare vides, qui duos Asini locos omiserit, tertium inepte mutaverit, quarto aliter narraverit. Neque vero haec neglegentia ut in re vilissima exhibita propterea minus premenda est, quod in aliis rebus per omnes libros iterum atque iterum commemorandis magis secum consentiat, ut in equi colore indicato (I, 2,20; VII, 2,7), unde miraculum illud de servo Candido finxit (XI, 20), cum etiam alias Apuleium non recte iudicio suo usum esse probaturi simus.

Iam a consilio nostro haud alienum videtur esse in universum, quomodo Apuleius Graecum exemplar in Latinam linguam verterit, inquirere, quomodo commutaverit, amplificaverit, in angustum coegerit. Ac primum quidem nonnullos locos iis, quibus singula tantum enuntiata ad verbum translata sunt, exceptis afferre placet, ubi merum interpretem Apuleius agit. Ecce Lucium et Palaestram (Fotidem) sermocinantes (As. 2.16-19; Ap. I, 22.12-17):

ἐγὼ μὲν ἠρόμην εἰ ἔνδον εἴη ὁ Ἵππαρχος.	responde an intra aedes erum tuum offenderim.
ἔνδον, ἔφη· σὺ δὲ τίς, ἢ τί βουλόμενος πυνθάνῃ;	Plane, inquit, sed quae causa quaestionis huius?
γράμματα, εἶπον, ἥκω κομίζων αὐτῷ παρὰ Δεκριανοῦ τοῦ Πατρέως σοφιστοῦ.] μεῖνόν με, ἔφη, αὐτοῦ,	Litteras ei a Corinthio Demea scriptas ad eum reddo. Dum annuntio, inquit, hic ibidem me opperimo,
καὶ τὴν θύραν συγκλείσασα ᾤχετο εἴσω πάλιν.	et cum dicto rursum foribus oppessulatis intro facessit.

Asini capita 29-33 tam accurate Apuleius amplectitur (VII, 17-24.2), ut ne verba quidem multa de suis addat, immo vero etiam brevius nonnulla narret. As. 7, 34 καὶ-37 παρειστήκει; Ap. II, 15,10 et-14 mensula. As. 14,30-35; Ap. III, 25,16-21. As. 25.5-13; Ap. VI, 31,20-28. As. 24,18-24 ἦσθα; Ap. VI, 30,20-31. As. 27,35-5 θέλειν; Ap. VII, 14,15 matrona-22. As. 30,7-12; Ap. VII, 18,2-9. As. 36,25-32 λαβοῦσα; Ap. VIII, 26,23-6 perduxisse. As. 38,13-22; Ap. VIII, 29,15-27. As. 39,7-10; Ap. VIII, 31.29-32. As. 41,8-42,16; Ap. IX, 10.1-8. As. 43,32-35; Ap. IX, 32,3-7. As. 44.7-15; Ap. IX, 40, 25-4. As. 45,26-36; Ap. IX, 41,6-42.22. As. 46,14-22; Ap. X, 13.2-14,11 dulcia. As. 47.26-38; Ap. X, 15,9-16,24. As. 50,18-51,23; Ap. X, 19,9-20.14. As. 51,25-30; Ap. X, 20,21-21,28. As. 51,3-52,14; Ap. X, 22,24-23.2.

Huc etiam referendum est, quod compluria Asini enuntiata in unam periodum comprehendit Romanus vel certe ὑποτακτικῶς narrare mavult (cf. locos allatos), quo saepe brevior fit oratio: As. 19,36-7 = Ap. IV, 5,1-8.

ὁ γὰρ ἕτερος ὄνος ἴσως ἐμοὶ τὰ αὐτὰ νοήσας πίπτει ἐν τῇ ὁδῷ.	namque ille alius asinus divinato et antecapto meo cogitatu statim ementita lassitudine cum rebus totis offunditur
οἱ δὲ τὰ μὲν πρῶτα ξύλῳ παίοντες ἀναστῆναι τὸν ἄθλιον ἐκέλευον, ὡς δὲ οὐδὲν ὑπήκουε ταῖς πληγαῖς,	iacensque in mortuum non fustibus non stimulis
λαβόντες αὐτὸν οἱ μὲν τῶν ὤτων οἱ δὲ τῆς οὐρᾶς ἀνεγείρειν ἐπειρῶντο. ὡς δ'οὐδὲν ἤνυον, ἔκειτο δὲ ὥσπερ λίθος ἐν τῇ ὁδῷ	ac ne cauda et auribus cruribusque undique versum elevatis ἀπηγορευκώς,] temptavit exsurgere,
λογισάμενοι ἐν ἀλλήλοις ὅτι δὴ μάτην πονοῦσι,	quoad tandem postumae spei fatigati secumque conlocuti,
καὶ τὸν χρόνον τῆς φυγῆς ἀναλίσκουσιν ὄνῳ νεκρῷ παρεδρεύοντες,	ne tam diu mortuo immo vero lapideo asino servientes fuga morarentur,
τὰ μὲν σκεύη πάντα ὅσα ἐκόμιζεν ἐκεῖνος διανέμουσιν ἐμοί τε καὶ τῷ ἵππῳ,]	sarcinis eius mihi equoque distributis
τὸν δὲ ἄθλιον κοινωνὸν καὶ τῆς αἰχμαλωσίας καὶ τῆς ἀχθοφορίας λαβόντες τῷ ξίφει ὑποτέμνουσιν ἐκ τῶν σκελῶν.	districto gladio poplites eius totos amputant.

As. 13,26 ἐπεὶ-30 γενόμενος = Ap. VII, 25.12-16 expostulabam; As. 38.27-33 ἀποκτεῖναι = Ap. VIII, 30.32 deaque-5.

Res ipsas Apuleius saepe ordine commutato profert. As. 2.20-26. Ap. I. 22.18-23. Rectius Asini auctor, dum Hipparchus litteras legit, eius condicionem describit, cum Apuleius mores derisurus homini non satis cognito hospitium praebentem faciat. As. 47.4 ἔπειτα-10; Ap. X. 16.32 mensaque-4. As. 25.14-20; Ap. VI. 32.30-6; cf. 31.9-12. — As. 21.31 latrones postridie ἐπὶ τὸ ἔργον ἀπῄεσαν; Ap. IV, 22.10 iam nocte promota, priusquam asinus mandicare coepisset. — As. 36.27 Philebus servum se emisse gente Cappadocem sodalibus adnuntiat; Ap. VIII. 24.23 iam praeco inde asinum ortum esse dicit. — As. 38.29 μάστιξ commemoratur in asino flagellando; Ap. VIII. 28.14 iam in cinaedorum scena describenda. — As. 45.37 asinus ante dominum detectum ex cubiculo detrahitur; Ap. IX. 42.18 vice versa. — As. 46,25 dinumeratio partium; Ap. X. 14.15. — As. 47,8 rectius asino in convivium introducto fortuna ridere dicitur quam in furto cum omnium gaudio deprehenso Ap. X, 16.27. – As. 48.25 de asino bibere cupiente iam Ap. X, 17.27 narratur. – Atque his quidem locis posteriora Asini iam prius apud Apuleium exstant; at asinus domini vector (As. 48.29-33) praetermissus simili loco copiosius commemoratur Ap. X. 18,17-27, necnon Pamphile cum lucerna collocuta (As. 12,5) III. 21.18; homines in iumentorum aetatem inquirentes (As. 35,16) VIII, 23.3.

Tumultuarii cuiusdam dicendi generis est orationem, quae multis omnino hominibus attributa erat, singulis distinctis proferre, hic illic nonnullis rebus additis. As. 22,21-23; Ap. VI, 26.17-23. — Confer etiam facta singulis quibusdam tributa. As. 28,22-24; Ap. VII. 16,1-6: παιόμενός τε καὶ δακνόμενος ὑπὸ τῶν ἀρσένων (ἵππων) ἀπωλλύμην· ἀεὶ γάρ με . . . ἐδίωκον, ἀμφοτέροις εἰς ἐμὲ ἀπολακτίζοντες. hic . . . primoribus in me pugillatur ungulis, ille . . . postremis velitatur calcibus, alius . . . totum me commorsitat. As. 38,31; Ap. VIII. 30.3 fuit unus. Itaque etiam suo ingenio nova quaedam Apuleius invenit: As. 25.4 εἶτα ἐζήτουν θάνατον; Ap. VI, 31.7-12. Inde fit, ut quae unius consilio gesta sunt, ex multorum deliberatione profecta esse dicantur: As. 27.5-7. Ap. VII, 14.24-29.

Neque vero ab vividiore illa narrandi ratione alienum est homines ipsos sermocinantes facere: As. 3.2 δόντες αὐτῇ κριθιδίων τιμὴν εἰς τὸν ἵππον; Ap. I, 24.23-25. As. 51.31 καὶ οἷα πρὸς αὑτῆς ἐρώμενον καὶ ἄνθρωπον διελέγετο; Ap. X, 21,3 instruit et blandissimos adfatus »amo« et »cupio« et »te solum diligo« »sine te iam vivere nequeo«; cf. X, 22, 21. As. 1.7-11: Ap. I, 21. As. 6,31; Ap. II, 10. As. 13.17 ἐδεόμην τότε τῆς Παλαίστρας πτερῶσαι κἀμέ-19 με; Ap. III, 22, 30-23. As. 22.2; Ap. IV, 23.1-5. As. 23.9; Ap. VI, 28,8-10. As. 46.23; Ap. X. 14.16-31. As. 47.12; Ap. X. 16,7-11. — Quamquam exempla exstant, ubi oratio directa in obliquam commutata est (As. 36.31 ταῦτα ἐς τὸν Φίληβον ἔσκωπτον, Τοῦτον οὐ δοῦλον ἀλλὰ νυμφίον σαυτῇ πόθεν ἄγεις λαβοῦσα; Ap. VIII, 26.5 »magistrum varie cavillantur. non enim servum sed maritum illum scilicet sibi perduxisse«. Sequitur ut apud Graecum oratio directa) vel prorsus omissa [As. 52,19-23 ὁ δὲ . . . δημοσίᾳ με δεῖξαι ταῦτα ποιοῦντα ἐπεθύμησε . . . ἵνα, ἔφη, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς θέας παραγάγωμεν τοῦτον ἐς τὸ θέατρον . . . Ap. X, 23.3 at ille liberto magnifice munerato destinat me spectaculo publico. As. 3.33-1 (I, 24.20); 3.10-12 (I. 26.10); 12.35-37 (III. 21.9); 23.29-31 (VI. 26.27); 39.10-16 (VIII, 31.1-3)] vel in angustum contracta (As. 4,20-28; Ap. II, 3,3-11). — Novae quaedam personae (novis rebus non additis) introducuntur: anus caupona pro Thessalis Lucium de Milone certiorem faciens I, 21.22; (As. 1.7); senex pro Abroea Lucium agnoscens II, 2.14 (As. 4.20); hortulani uxor ad eum prosiliens IV, 3.26 (As. 18,19); nec defuit vicinus perfidus, qui nos ilico occultari nuntiaret IX. 41,23 (As. 45 μανθάνουσιν ἔνθα ἦμεν κεκρυμμένοι); praeco VIII, 23-25; cinaedorum servus VIII, 26; unus ex cinaedis VIII, 27.5 sqq.

. . . .